Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

304-47

DA BOX

LN 1309
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

ORATIO CONTINENS HVIVS SECVLI CVM ANTIQVIS COLLAtionem, qua demonſtratur nihil præſens à prioribus degeneraſſe, ſed omnibus ætatibus eandem fabulam mutatis tantum perſonis actam eſſe, refutatis ijs qui in contraria ſunt opinione.

Scripta & recitata
à
M. MATTHIA PAISENO
Holſato Huſenſi.

ROSTOCHII
Typis Auguſtini Ferberi,
ANNO M. D. XCV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo princi-pi & Domino.

D. IOANNI ADOLPHO

Arhciepiſcopo Eccleſiæ Bremenſis, Adminiſtratori Lubecenſis

Nec non

Illuſtriſsimo generoſiſsimoq; principi ac Domino

D. *JOANNI FRIDERICO*

fratribus,

Hæredibus Norvvegiæ, Ducibus SLeſvvici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comitibus in Aldeburg. & Delmehorſt Dominis ſuis Clemetiſſimis,

Debitæ gratitudinis & Obſeruantiæ ergò

Hanc orationem in morem ferè centonis ex optimis auctoribus concinnatam,

Subiectiſsime

Dicat & conſecrat,

Matthias Paiſenius.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Reuerendiſsimo & Illuſtriſsimo
Principi ac Domino,

D. IOANNI ADOLPHO

*Archiepiſcopo Eccleſiæ Bremenſis
Adminiſtratori Lubecenſis, Hæredi
Norwegiæ, Duci SLESwici, Hol-
ſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ,
Comiti in Aldeburg & Del-
menhorſt, Domino clemen-
tiſsimo S. D.*

DAVID CHYTRÆVS.

REipublicæ expedit, Homines modeſtos, & bonis, placidis, ac moderatis ingenijs præditos, rectè excultos doctrina, & veris ſententijs de Deo & alijs artibus imbutos, prouehi ad ea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

loca, vbi ſeruire Eccleſiæ Dei & communi hominum ſocietati, alios ſalutaria docendo, & voce doctrinæ ac exemplis morum & virtutum honeſtis, regendo, poſſunt. Tale cùm ſciam eſſe Ingenium honeſti huius & docti viri M. MATTHIÆ PAYSENII in Illmæ Celſ. V. ditione nati: dignum Ill. Celſ. V. & omnium bonorum beneuolentia, patrocinio & amore iudico.

Nam & natura eſt amans veritatis, moderatus & grauis, & ad Naturæ bonitatem adiunxit ipſe cognitionem linguæ latinæ ac Græcę, & omninm partium philoſophiæ: præcipueq; elaborauit in dulciſsima doctrina de motibus ac effectibus cœleſtibus, quorum conſideratio cùm propter

alias

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

alias cauſas vitæ vtilis eſt, tum eò grata eſt bonis mentibus, quia ordo motuum, Illuſtre teſtimonium eſt, hunc mundum non extitiſſe caſu, ſed à mente æterna archiectatrice conditum eſſe. Ethicen etiam ſtudioſè didicit, non ſcientiæ ſolum augendæ cauſa, ſed vt in regendis moribus ſe ad Philoſophicam moderationem aſſuefaceret, & illam ſuauitatem efficeret dignam homine docto & virtutem intelligente, de qua dictum eſt, ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη Et quia ſcit homines ad agnoſcendum & celebrandum Deum conditos eſſe, & veram doctrinam de Deo, non alibi, niſi in Eccleſia, quæ Prophetarum & Apoſtolorum monumenta retinet, quærendam

 eſſe

eſſe, quæ teſtimonia patefactionis diuinæ recitant: piè didicit doctrinam Eccleſiæ catholicæ & orthodoxæ, & Deum colit fide & bonis moribus, eumq́; recte inuocat fiducia mediatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, & ab omnib fanaticis opinionibus abhorret. ac luce veræ doctrinæ hic M. Matthias piè regit Inuocationem Dei & ſuos mores, & hæc ſua ſtudia refert ad hunc finem, vt gloriam Dei ornet, & Eccleſiæ in docendo ſeruiat, & ſit palmes fœcundus inſitus filio Dei, qui ſe vitē nominat. Itaq; vt ſe ad miniſterium Euangelij prępararet, non didicit ſolùm ſtudioſè Euangelij doctrinam verùm etiam ſæpè pro concione docendo, ſe exercuit, ac, domeſticum ſtudij Theologici

forma-

formatorem, & concionum habendarum longo iam vſu peritum artificem, aliquot annos habuit Reuerendum & Clar. V. VALENtinum SCHACHtium Theologiæ Doctorem, & Paſtorem eccleſiæ noſtræ, & hoc tempore Academiæ Rectorem. Cui propter ſtudium pietatis, modeſtiam, doctrinam, & in omni officio diligentiam & fidem fuit cariſsimus. Cumq; familiaritas cum bonis illuſtre teſtimonium ſit integritatis & virtutis: vt in veteri verſu dicitur, τοιοῦτος ἐστιν, οἷσπερ ἥδεται ξυνῶν: magnum eſt hoc quoq; argumentum virtutis in MATTHIA, quòd domeſtica illi tot annos cū viris honeſtiſsimis conſuetudo fuit. Specimen verò Ingenij doctrinę ac Diligen-

tiæ ipſius illuſtre, etiam hæc Oratio, bonis & grauibus Sententijs, & verbis perſpicuis, & magna hiſtoriolarum ac exemplorum copia & varietate ſtipata, præbet. Quam cum Ill^mæ Celſ. V. Principi & patri patriæ ſuæ optimo & clementiſsimo, dedicauerit: non dubito, Ill. Cel. V. pro Heroica Bonitate & clementia ſua, benignè hanc ſubiectiſſimi ſubditi ſui lucubrationem, & autorem illius, clementer in Paternam Celſ. ſuæ beneuolentiam & Patrocinium eſſe recepturam. Cumq; optimè mereantur de Republica, qui viros modeſtos, & moderatis ingenijs à Deo ornatos, ac rectè eruditos, ad Rempublicam vel docendos alios in eccleſijs & ſcholis prouehunt:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

vehunt: reuerenter confido, Ill. Cel. Veſtram clementer acturam eſſe, vt huius ſubditi ſui MATTHIÆ PAYSENII Ingenium & ſtudia, publicæ ſaluti ſeruiant. Sic Deus eccleſiam ſeruat, quia paſsim aliqua bona ingenia, exculta eruditione, excitat, regit & adiuuat. Quare tales, in quibus hæc decora conſpiciuntur, ſummo ſtudio tuendi & iuuandi ſunt. Benè & feliciter Ill. Celſ. Veſtra æternùm valeat. Pridie Gregorij. Anno 1595.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

ORATIO CONTINENS HVIVS SECVLI CVM ANtiquis collationem, qua demonſtratur nihil præſens à prioribus degeneraſſe, ſed omnibus ætatibus eandem fabulam actam eſſe mutatis tantum perſonis.

Sueton: In Cæſ. cap. 7.

NArrat de Cæſare Suetonius, quod cum quæſtor mandato prætoris iure dicundo conuentus in Hiſpania circuiret, Gadeisq; veniſſet, animaduerſa M. Alexandri imagine, ingemuerit, & quaſi pertæſus ignauiam ſuam, quod nihildum à ſe memorabile actum eſſet, in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet, miſsionem continuo efflagitauerit, ad captandas quamprimum maiorum rerum occaſiones. Quo ſane teſtatum fecit, idem ſibi animi fuiſſe, quod

Cic. 4. Thus. Quæſt:

Themiſtocli, qui noctu (quod ſomnum capere non poſſet) ambulabat in publico, quærentibusq; reſpondebat: Miltiadis tropheis ſe è ſomno ſuſcitari. Maximo enim cuiq; id accidere animo, certum ſe habere

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

habere, inquit Scipio, vt ſe non cum præſentibus Liu. Dec
modo, ſed cum omnis æui claris viris comparet. Vn 3. lib. 8
de ipſe etiam ſe non diſsimulare ait, quod Fabij
Max. *(quo cum ipſi erat contentio) laudes non aſſe-*
qui ſolum velit, ſed, ſi poſsit, etiam exſuperare. Quo-
rum exemplo, vt ego quidem arbitror, Cicero quoq;
conſitetur, quod à puero adamauerit, ἀιέι ἀριςεύειν Ad Q.
καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. *Sed hunc vt* Fr. lib. 3.
nemo fortaſſe mirabitur, quippe quem gloriæ nimis Ep. 5.
etiam cupidum fuiſſe, ex propria ipſius confeſsione
liquere poteſt: Sic Spartiatos pueros intuentem, ve-
hementer commoueri neceſſum eſt. Hi enim ma- C ic5.
iorum ſuorum laudem propria virtute merendi, Th. Qu.
tanto deſiderio flagrarunt, vt incredibili contentio-
ne certantes, pugnis, calcibus, vnguibus, morſu, ex-
animarentur etiam priusquam ſe victos faterentur.
Turpe *enim erat apud* Lacedæmonios *vinci, quare* Senec. 5.
& vetuerunt ſuos pancratio aut ceſtu decernere, vbi de Ben.
inferiorem oſtendit victi confeſsio. Sed quorſum c. 2.
hæc commemorata? Arrogantior fortaße videbor,
ſi illorum æmulatorem me profitear, quorum mini-
mam laudem vix ſperare, nedum affectare debeo;
aut ſi debeo, certè propter virium, quam in me
agnoſco imbecillitatem, non poſſum. Ruditatem
autem meam deplorare, & mœrere ſtultos dies præ-
teriiſſe, non minus quam licebit exemplo Cæſaris In Orat.
decebit. Iſocrates dicit, ſe in iuuentute hortatum ad Phil.
eſſe, vt ſe & deriderent & contemnerent, niſi pro
dignitate rerum & exiſtimatione ſua & tempore
quod eloquentiæ ſtudijs impendiſſet, dicere videre-
tur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

tur. Quid mihi hæc legenti, auditores, animi putatis eſſe? Annon triſtiores gemitus, & ex altiore corde petitos, me edere exiſtimatis? Quippe qui multo grauiores, quam Cæſar, ingemiſcendi habeo cauſas? Namq; ille, licet rerum geſtarum magnitudine, tum temporis Alexandro eſſet inferior: Tantum tamen aberat vt vel rei militaris ſcientia, vel in rebus gerendis induſtria, vel in perficiendo celeritate ipſi cederet, vt etiam in multis ſuperare crederes. Nihil igitur illi ad res tantas maturius gerendi deerat, præter occaſionem; Nec in poſterum ianua, qua virtus eius eniteſcere poſſet, ipſi præcluſa erat. Ego vero in tantum ſum infelicior, vt id ætatis, quo Iſocrates cum ſummo quouis oratore, ſiue ſermonis ſuauitatem, ſiue rerum pondus ſpectares, conferri poſſet, non modo tantam dicendi facultatem mihi non comparauerim, ſed ne in poſterum quidem adſpirare ad ſimilem ſalua medeſtia auſim. Nam ſi Ciceroni videbatur, ore duriſſimo, qui præſente Roſcio geſtum agere conaretur, qui verò cum eò contenderent, eos, etiamſi quid antea recti aut venuſti habere viſi erant, id amittere; Qua ego fronte videbor, ſi in eo theatro, in quo oratorum ille Roſcius ſuam prȩeminentiam omnibus probauit, præter dicendi παῤῥησίαν, æmulandi etiam animum adferam? Nonne merito mihi obſtrepentes illud Hiſiodi occinent?

Pro. P. Quint.

ἄφρων δ᾽ ὅς κ᾽ ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερί-
(ζειν,
νίκης τε στέρεται πρὸς τ᾽ αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

lib. 1. op. et dierum.

Quod

Quod cum ita ſit, quis non diſsimilimam rationem meorum & Cæſaris eſſe gemituum, vel primo intuitu deprehenderit? Quamobrem cum nunc & me in iudicium venire non ingenij ſolum ſed etiam virtutis, præſens dicendi neceſsitas vrgeat, tantopere commoueor animo, vt etiam toto pectore cohorreſcam.

Cic. pro Cluent.

Nam ſi, vt quisq; optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem varioſq; euentus orationis, hominumq; expectationem pertimeſcit; Qui vero nihil poteſt dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atq; edere, is etiamſi commouetur, tamen impudens videatur:

Cic. 1. de Orat.

Quantis me, fractum ac debilitatum metu, in anguſtijs verſari putatis, dum criminis illius, quod non pudendo, ſed non faciendo id, quod non decet, effugere debemus, fœditatem abominor? An non igitur à dicendi propoſito abſiſtam, & ex lubrica hac via potius regrediar, quam male progrediar? Satius fortaſsè eſſet: Sed abiturum his reuocat Horatius:

Cur neſcire pudens praue, quam diſcere mauis? — In ar. Po.

& *Non poſsis oculo quantum contendere Lynceus,* — Lib: 1.
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi: — epiſt. 1.
Nec quia deſperes inuicti membra Glyconis,
Nodoſa nolis corpus prohibere chiragra.
Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur vltra.

Reuocat & Cicero; Par eſt (inquiens) omneis omnia experiri, qui res magnas, & magnopere expetendas concupiuerunt: Quod ſi quem aut natura ſua, aut illa præſtantis ingenij vis fortè deficiet, aut

minus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis, teneat tamen eum curſum, quem poterit. Prima enim ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis tertijsq́; conſiſtere. Neque illud ipſum, quod optimum eſt, deſperandum eſt; Et in præſtantibus ingenijs, magna ſunt ea, quæ ſunt optimis proxima. Tacitus

5. An. etiam ſpem reddit, Multa, dicens, experiendo fieri, quæ ſegnibus ardua videantur. Quod Diony-

ſoc. in Archid. ſius tyrannus & Amyntas Macedoniæ rex ſuo exemplo clarum fecerunt, quippe qui iam deſperantes de ſalute, mutato animo hoſtes ſuos fuderunt: Sicut & ij, qui extra Peloponneſum habitant, Darico bello. His auditores doctiſsimi cùm animus

5. de en: cap. meus nonnihil recreatur, tùm vel Seneca maximè eum confirmat, dum ſuperatum non modo conſolatur, ſed victo etiam & iam profligato vincendi viam monſtrat. Nunquam enim (ait) in rerum honeſtarum certamine ſuperari turpe eſt, dummodo arma non proijcias, & victus quoque velis vincere. Non omnes ad bonum propoſitum eaſdem adferunt vires, eaſdem facultates, eandem fortunam, quæ optimorum quoque conſiliorum duntaxat exitus temperat. Voluntas ipſa rectum petens laudanda eſt, etiamſi illam alius gradu velociori anteceßit. His igitur excellentißimi poetæ increpationibus, oratoris ſummi adhortationibus, hiſtorici prudentiß. conſolationibus, & philoſophi præſtantißimi rationibus, cum non cedere ſit pertinacis, negligere arrogantis, reſiſtere contumacis, non credere impudentis, veniam mihi dabitis ornatiß: auditores,

hanc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

hanc prouinciam non cum magnis contendendi conatu, ſed diſcendi ſtudio, non ingenioli oſtentandi, ſed exercendi gratiâ ſuſcipienti. Idq; vos facturos cum promptitudo & feſtinatio veſtra ad hunc locum accedendi, & ſtudium & ardor recitantem audiendi, benigni quos præ vobis fertis vultus, & candor promptus ad ignoſcendum erratis ſpem facit: Tum propoſita dicendi materies, non ad affligendos; ſed erigendos, nec ad turbandos ſed exhilarandos veſtros animos, electa, certo pollicetur. Neq; enim peruolgatam & frequentatam ſcriptorum in vituperando & deplorando degeneres exulcerati huius ſeculi mores viam ingrediar; Neq; enumeratis & exaggeratis noſtrorum hominum vitijs, virtutes veterum cum admiratione quadam recenſebo; Aut hos ad cœlum vſq; laudibus euehens, illos maledicendo ad inferos relegabo: verum potius noſtri æui patrocinium ſuſcipere, vetuſtatis in omni genere flagitia denudare: Illud huic virtutibus ad æquare, & deniq; præſens mortalium genus, antiquo nihil eſſe deterius refutando aduerſarios, Deo annuente, demonſtrare conabor. Quamuis autem aduerſarios habeam admodum potentes, quippe qui non tantum adſtipulatores habeant homines vulgares, ſed etiam viros variarum diſciplinarum ſcientijs imbutos: Tum grandæuos, qui propter longam multarum rerum experientiam plurimum poterunt, ſenes: Præterea teſtes adducant, ex Poëtarum, oratorum, hiſtoricorum genere nobiliſſimos quosque: Imo .ad ipſam prouocent experientiam. Tamen

men adeo non horum potentia, & teſtium, quos adducunt, multitudine deterreor, vt etiam multò cum maiore fiducia ad cauſam hanc accedam: Præſertim cnm & victus veniam habiturus ſim multo facilorem, & ſolatium quo recreer, longè efficacius. Imbecilli enim cum forti congredienti magis fauere ſolemus, & ipſi magni Æneæ manu cadere æquiore animo ferimus. Iam ſi victor euaſero (de quo cauſæ bonitas dubitare vetat) nobilior mihi certè erit victoria, & gloria, quæ ſequetur, multo illuſtrior. Accedit quod numeroſos illos teſtes non plus ipſis profuturos proſpectum habeam, quam Xerxi (Si parua licet componere magnis) innumerabilis in Græcię anguſtijs exercitus. Neq; enim hic præ multitudine vti ſuis viribus poterat; Nec illis auxiliarium frequentia tam vires auget, quam propter teſtes quoſdam minus idoneos, ſuſpectas reddit. Quos enim propter Deum immortalem teſtes adducunt? Poëtas, Homines nimirum, qui cum tabulas cœperunt, ſibi quærunt quod nuſquam eſt gentium, reperiunt tamen. Faciunt veriſimile quod mendacium eſt. Arrogant enim ſibi quidlibet audendi poteſtatem. Vnde & ille canit:

Plutarc: in vita Themiſt

Plaut. in Pſeudo.

Hor. in atre.

Exit in immenſum fœcunda licentia vatum
Obligat hiſtoricâ nec ſua verba fide.

Ouid. 3. Am. 11.

Et tale genus hominum illi adhibent teſtimonio perhibendo. Credo numerorum ſuauitate á cognitione veri nos abductum iri ſperarunt, parum memores, nullum ſuauiorem animo cibum eſſe quam cognitionem veritatis, eiusdemq; tantam vim eſſe

Lactan. Lib. 1. de ſal.

vt

vt contra hominum ingenia, calliditatem, ſollertiam, contraq; fictas omnium inſidias, facile ſe per ſeipſam defendat. (Cic. pro Cœlio) Verum enimvero, aiunt illi, nulla hic veritatem diſsimulandi cauſa erat poetis, quippe quos magis incitaret ad vituperandā antiquitatem, veterum erga ipſos iniquitas. Quis enim neſcit tantopere apud veteres Romanos odio habitos eſſe poetas, vt etiam Cato obijceret tanquam probrum Marco Nobiliori, quod is in prouinciam poëtas duxiſſet. (Cic. 1. Th. Q.) Quare cum ſint præmia falſi Nulla, ratam debet teſtis habere fidem. (Ouid. 3. Triſt,) Quid audio? Nullam poetæ commendandæ antiquitatis habuerunt cauſam? At quibus laudationes illas, quibus Herculem, Achillem, & neſcio quos præterea, inter ſidera locant, defendent? Iacerent, auditores, jacerent omnia poetarum figmenta, ſi ipſi vituperando vetuſtatem, fabulis ſuis de veterum præſtantia excogitatis, fidem derogarent. Nec adeo dementes erant poetę, vt odium illud erga ſe veterum, quod æterna obliuione obrutum cupiebant, commemorando renouarent. Vnde Lactantius inquit Mendacium poetarum non in facto eſſe ſed nomine; Metuiſſe enim malum, ſi contra publicam perſuaſionem faterentur quod erat verum. (lib. 1. Cap. 19. De falſ. Rellig.) Sed audiamus, quęſo, audiamus hominum fide digniſsimorum teſtimonia: Horatium in primo cornu ponunt, quaſi plus reliquis habentem fidei, non cogitantes eum, qui ipſe Parthis ſe inuentum mendaciorem fatetur, allegari. (Hor. lib. 2. Ep. 1.) Sed quid?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Damnoſa (inquit) quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

carm. od. 6.

O Speciosum telum & dignum, quod primum in hoſtem mitteretur! Sed magis pulcrum videtur quam acutum, & magis volitans quam vulnerans. Neq; enim probat Horatius quod dicit; nec quibus probare conatur, perſuadet. Nam quod in præcedentibus corruptam domi libidinib. diſciplinam accuſat, & Deorum contemptum, hæcq; cum maiorum, qui cum Catone viuebant, pietate & continentiâ confert, id non ſui seculi mores antiquis corruptiores eſſe concludit: Neq; enim tempore Horatij omnes erant libidinoſi, neq; tempore Catonis omnes pij & continentes, Sicut ex ſequentibus apparebit. Adferunt deinde ex Virgilio.

Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro ſublapſa referri,
Non aliter, quam qui aduerſo vix flumine lembũ
Remigio ſubigit, ſi brachia forte remiſit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni.

Verg 1. Georg.

Imponere nobis velle videntur. Ea enim quæ de leguminum ſeminibus dicit virgilius, illi ad mores hominum transſerunt, & quo minus impoſturæ illæ pateant, teſtimonia mutilata recitant, omittentes vnde ſcopus videri poſſet. vt ſunt:

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes
Et

Et nitro prius & nigrâ perfundere amurcâ
Grandior vt fœtus ſiliquis fallacibus eſſet.
Et quamuis igni exiguo properata maderent:
Vidi lecta diu & multo ſpectata labore,
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret. Hinc ſubiungit:

Sic omnia fatis &c. videtis fidem & candorem illorum in citandis teſtimonijs? Sed largiamur illis aliquid: Intelligatur ſanè vox, Sic omnia fatis, quę de ſeminibus loquitur, etiam de moribus hominum. Aſſumant, ſi libet, & illa:

—Intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylua,
Lappæq; tribuliq;: interq; nitentia culta
Infœlix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Notet figuratè virgilius & his degeneres mores: Neq; enim adeo ſumus duri, vt nihil aduerſarijs concedamus. Sed caueant homines imprudentes, ne erga patrocinantem ſibi malè grati reperiantur, dum ad id neceßitatis patronum redacturi ſunt, vt ipſeſibi contradicere videatur. Nam ſi hic de corruptis moribus loquitur, quomodo ſibi in 4 Ecclogâ conſtabit, vbi ſuam ætatem cum aureâ illa confert:

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna etc.

Item.

—Ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo.

Sed quoniam in mentionem ætatis aureæ incidimus, perpendamus & hanc. In hac enim vel maximum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

momenti ſitum eſſe ſibi perſuaſum habent, cum nullus ſit ferè poëtarum, qui in huius laudatione ſe temperare poſsit. Quando igitur & qualenam fuit illud aureum regnum, in quo celebrando tantopere incubuerunt? Sub Saturno, inquiunt, rege iuſtiſsimo, prudentiſsimo, pudiciſsimo, & pacis ſtudioſiſsimo regnum illud floruit, in quo ſubditi vindice nullo

Sponte ſuá ſine lege fidem rectumq; colebant.
uid. 1. Met: Poena metusq; aberant, nec vincla minacia collo
Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.
Nondum cæſa ſuis peregrinum vt viſeret orbem
Montibus, in liquidas pinus deſcenderat vndas,
Nullaq; mortales prẹter ſua littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ.
Non tuba, directi non ęris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat; ſine militis vſu
Mollia ſecuræ peragebant ocia gentes.
Ipſa quoq; immunis, raſtroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus:
Contentiq; cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus montanaq; fraga legebant,
Cornaq; & in duris hærentia mora rubetis,
Et quę deciderant patulâ Iouis arbore glandes,

Egregia ſanè regni & digna nobilitate eius commendatio: Sed in mentem mihi venit illud Lucretij.

Omnia enim ſtolidi magis admirantur amantq;
Lib. 1. Inuerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt;
Veraq; conſtituunt quæ belle tangere poſſunt.

Aureũ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Aureis, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

Ne igitur & nos lepido fucata ſonore decipiant, te- Cic. d
nendum nobis erit illud ἐπιχαρμεῖον : *Neruos atq;* pet.co
artus eſſe ſapientiæ non temere credere : Præſertim ſulat.
cum ij perſuadere nobis conentur, qui ſuſpectę ſunt 2. de D
fidei, cuiuſmodi ne vera quidem dicentibus credere uin:
*ſolemus. Quare ipſi ſtatum huius regni tam pul-
chrum, tam pacificum, tam felicem videamus. Ille
autem quo melius appareat fundamentum primum
iſtius regni, nimirum ipſe rex aſpiciatur. Veriſimile
enim eſt ſubditos regem moribus repræſentare, ſicut
tritum vulgari ſermone prouerbium ſonat : Qua
lis rex, talis grex. Item. Vtq; ducum lituos ſic mo-
res caſtra ſequuntur. Vnde apud Platonem diuini-
tus ſcripta inquit Cicero : Quales in Repub. princi-* In Ep.
pes eſſent, tales reliquos eſſe ſolere ciues. Quod Fam.
ipſe alibi hic verbis repetit: Licet videre, ſi velis re- 3. de le
*plicare memoriam temporum, qualescunq; ſummi ci-
uitatis viri fuerunt, talem ciuitatem fuiſſe : Quæ-
cunq; mutatio morum in principibus exſtiterit, ean-
dem in populo ſecuturam etc. Hinc de Numâ ſcri-
bitur quod ipſe ſacris deditus, ciuitatem etiam reli-* LiuD.
gione impleuerit : Ancus vero vir bellicoſus ad ar- Lib. 1.
*morum ſtudium conuerterit. Quid Veſpaſianus?
In hunc, cum præcipuus adſtricti moris auctor eſſet,* Tacit.
antiquô ipſe cultu victuq; magnum populi fuit obſe- Ann
*quium, & æmulandi amor validior, quam pœna ex
legibus, & metus. Quæ cum ita ſeſe habeant, non
poteſt fieri, quin etiam Saturnus aurei huius ſeculi
fabricator, tantum alios principes virtute ſuperarit*

quantum diſtat ab aureâ ætate ferrea. Ignoſcetis igitur auditores, ignoſcetis mihi, ſi Saturnum ſuis coloribus depingere cupiens, præconem rebus ipſius geſtis idoneum non præſtitero. Æque enim difficile eſt eos laudare qui aliorum virtutes ſuperant, ac illos, qui nihil pręclari geſſerunt. Nam alteris res deſunt: Alteris apta verba reperiri non poſſunt. Sed vt patriam parentes, genus & alia omittamus, quæ aliena bona ſunt, ipſius Saturni mores examinabimus, & primum quidem pietatem erga parentes, quæ fundamentum eſt omnium virtutum ante oculos proponemus. Nulla enim vi verborum, nulla ingenij facultate exprimi poteſt, quantum opus ſit, quam laudabile, quamq; nunquam à memoriâ hominum exiturum, poſſe hoc dicere: Parentibus meis parui, ceſſi imperio eorum, ſiue ęquum ſiue iniquum fuit, obſequentem ſubmiſſumq; me præbui: Ad hoc vnum contumax fui, ne beneficijs vincerer. Quod cum ita ſit, quis dubitauerit, quin longè pietate ſuperarit, non modo Pomponium Atticum, qui in funere matris, quam extulit annorum nonaginta, gloriabatur, ſe nunquam cum matre in gratiam redijſſe, nunquam cum ſorore fuiſſe in ſimultate; Aut Cleobin & Bitonem qui currum, cui mater inſidebat, traxerunt; Aut Scipionem qui in bello Punico periculum intercurſu à patre propulſauit, aut deniq; T. Manlium à tribunitijs vexationibus patrem liberantem: verum etiam Æneam, Amphionem, Siculos, Antigonum alioſq; pietatis affectu vicerit. qui parentes humeris ſuis ex mediâ flammâ deportarunt. Neq;

[Margin: ſoc: in anegyr. — Cic. p. Plan. — Senec. 3. de. Ben. C. 38. — Cornel. Nep. — Herod. — Cic. I. Th. Q. — Liu. d. 3. l. 7. — Vergi. in Æthen. — ſen. 3. de Ben. c37.]

enim

enim hi conditores ſeculi aurei fuerunt, nec inter Deos ſunt relati. Qualis igitur fuit Saturnus erga patrem? Nolite perturbari auditores, ſi παράδοξον aliquod audiueritis: Fuit flagitioſiſſimus & abominanda impietate ſceleratiſſimus nebulo. Nam ſi ſceleratum eſt illum armis proſequi à quo aliquod magnum beneficium acceperis; profectò ſceleratiſſimus fuit Saturnus, qui patrem ſuum Cœlum inſecutus eſt, à quo huius lucis vſuram acceperat: verum non ſolum inſecutus eſt, ſed etiam captiuo virilia membra amputauit. O immanem beſtiam (pudet enim hominem dicere) quæ non erubuit illam charitatem violare, quæ dirimi niſi deteſtabili ſcelere non poteſt; O ſceleſtum, Deus immortalis, ac nefarum facinus, atq; eiusmodi, quo vno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur. Etenim ſi id, quod pręclare à ſapientibus dicitur, vultu ſæpe lęditur pietas, quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui, quod morte deterius, parenti obtulerit, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, iura Diuina atq; humana cogebant. Sed quid? Huiusmodi beſtiam gens illa aurea, non tantum peccato abſoluit, ſed vt pręmium haberet tanti facinoris, in regnum etiam impoſuit, & id quidem regnum, quod aureum illi vocant. Verum enimvero, aiunt buccinatores illi aureæ ætatis, Cupido dominandi, quæ cunctis affectibus flagrantior eſt, illum ad hoc impulit. Nec hoc mirum cum omnes fateantur; τυραννίδα καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν καὶ τῶν ἀνθρωπίνων μέγιστον καὶ σεμνότατον καὶ περιμαχητότατον εἶναι.

Natal. Come lib. 1. Myth & Lact. lib. 1. fals. re

Ouid. Ibin. Cic. i Læ. Pro R Ame

Tacit Anna

Iſoſ. Euag

Suet. in Cæſ. cap. 30.
. Off.

Quare & Cicero ſcribit Cæſarem ſemper hos Euripidis verſus in ore habuiſſe:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεὼν.

Si violandum eſt jus, imperij gratiâ
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

O hominum fidem! A quibus hæc diſputantur? Nonnè ab ætatis aureæ patronis? O egregios defenſores harum cupiditatum, quib. nihil nec tetrius nec fœdius excogitari poteſt! O egregiam ætatem, in qua imperij cupido, materies omnium malorum laudi ducebatur! O egregium regem, qui ius diuinum & humanum, propter id vnum, quod omnium eſt ſceleratiſsimum, violare non erubuit! Sed (Si Dis placet) in cæteris pietatem coluit: Imo fratres dolo, & fraude & mendacijs à poſſeßione regni paterni remouit: Proprios filios ſæuior lupis & vrſis deuorauit. An igitur is potuit eſſe tolerabilis in alios qui tam fuit ferus in ſuos filios? An poteſt aurea ætas, hoc eſt iuſtitiæ, humanitatis, pudicitiæ, æquitatis plena adminiſtratio ſub hoc rege fuiſſe, qui tam impius in parentes, fratres & filios ſuos extitiſſet? Sed diuinam vltionem non effugit. Neq; enim tantum propter violatam iuris iurandi religionem à Titanibus cum vxore Rheâ (quæ eadem ſoror) comprehenſus in vincula & in cuſtodias eſt coniectus: verum etiam cum à filio Ioue eſſet liberatus, ingratiſsimus autem liberatori ſuo inſidias ſtrueret, idem paſſus eſt á filio, quod patri ante fecerat. Iam dicat mihi aliquis, quæ pax, quæ tranquillitas in eo

Saluſt: Bel. cat.
. Off.

Natal. Com lib. . Myt.

regna

regno eſſe potuerit, in quo filius à parente tutus eſſe non poſſet; quæ concordia, in quo regem filij ſunt perſecuti; Quæ deniq; pudicitia in quo rex non modo turpiſſimo inceſtu cum ſorore ſe fœdabat; ſed etiam nullam adulterij timens notam, ſub equi ſpecie Phyliram Oceani filiam ad res venereas inuitaret. Addit etiam poëta nullum eo tempore nauium fuiſſe vſum; Nullâ agriculturâ homines defatigatos; Nihil armorum eo ſeculo viſum: Cum tamen ipſe teſtetur claſſe in Italiam, Saturnum traieciſſe, & agriculturam ibi incolas docuiſſe, cum Iouis armis ex regno eſſet pulſus. Plura de præſtantiſſimo, impietate, ἀσοργία, crudelitate, perfidiâ, periurijs, libidinibus & omnium ſcelerum atq; flagitiorum genere, nobilitato rege & eius ſubditis dici poſſent, ſi non ſatis cum ex his tum ex ſequenti etiam oratione ſtatum illius aurei ſeculi cognoſci poſſe perſpectum haberem. Sed reliqui teſtes etiam audiendi. Neq; enim aliorum poëtarum, qui minorum ſunt gentium, teſtimonia refutare operæ pretium iudico. Quemadmodum nec oratorum exclamationes quaſdam magni facimus, quippe, quos ſcimus etiam laudi ſibi ducere, ſi falſas & abſurdas opiniones, orationis ſplendore veriſimiles reddere poßint. Neq; enim quicquam tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: Neq; tàm horridum tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione & tanquam excolatur. Vnde etiam Marius apud Salluſtium dicit, ſe parum id facere, quod verba ſua non ſint compoſita, & addit: Illis artificio opus eſſe, turpiam facta oratio-

Iſoc. in Laudat. Helenæ

Cic. in proœmio paradoxorum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

lib.1. cap.6. ratione tegunt. *Quid quod* T. *Caſtritius apud Gel-
lium, rethori non modo conceſſum eſſe inquit, ſen-
tentijs vti falſis, captioſis, ſi modo veriſimiles ſint &
poßint ad mouendos hominum animos qualicunq;
aſtu irrepere: ſed etiam turpe eſſe ait* Rethori, *ſi quid
in mala cauſa deſtitutum atq; inpugnatũ relinquat?
Quapropter cum nemo eſſe poßit Argus tam ocula-
tus, cui à* Mercurio *id eſt homine verſuto & eloquen-
te imponi nequeat:* Cum *nemo adeo tenax recti pro-*
Ouid. 1. Meta. *poſiti inueniatur, cui alata Mercurij talaria (quæ
linguæ volubilitatem ſignificant) & virgá (per quam
vis eloquentiæ denotatur) non alliciat & impellat:*
Cum *deniq; nullæ orationis fallaciæ tantæ ſint, quas*
Mercurius *(oratorem puta) tegumento ſui capitis
velare & dißimulare neſciat, miſſam* Oratorum
*turbam, cuius teſtimonia, vel nihil vel parum pon-
deris habent, faciemus. Reſtat igitur vt* Hiſtoricos
*& Senes, in quibus multum præſidij aduerſarij ſibi
poſitum putant, audiamus. Ad ſenes cur confugi-
ant, nemini quidem obſcurum eſſe poteſt; Hiſtoricos
autem qua ſpe allegent, non video. Sed accidit illis*
Liu. D. 4, lib. 10 *quod cæcis criminandi cupiditate animis euenire ſo-
let, qui dum omnia ſuſpecta efficere volunt, aliud alio
confundunt. Quid enim, obſecro, hiſtoricos adducen-
do aliud faciunt, quam vt quaſi ſpeculũ nobis por-
rigant, ex quo illorum criminationes, quam ſint fri-
volæ, quam ſint inanes, contemplari poßimus? Non-
ne gladium ſuo ſanguine cruentandum exhibent?
vnde, quæſo, hoc ſeculum nihil à veteribus degene-
raſſe adſtrueremus, niſi hiſtoria teſtis temporum, lux*

veri

veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia ve- C. 2. de
tuſtatis, nobis exempla vitiorum ab antiquis perpe- Orat.
tratorum ſuppeditaret? Hæc *virtutes illuſtrium vi-* Tacit. 4.
rorum ſileri vetat: Hæc *vt prauis dictis factisq́; ex* An.
poſteritate & infamiâ metus ſit, facit: Hæc *ma-*
gnorum hominum vitia, quæ potentiâ & dignitate
illorum, donec viuunt, teguntur, poſt mortem pate-
facit: Sicut *pulcrè in* Midæ *fabula docetur. Qui* Ouid.
licet ſuas aſininas aures. (vitia) tiarâ (hoc eſt, re- 11. Met.
giâ dignitate) tegeret, & deformitas eius, ne ma-
nifeſta fieret ſcrobibus (hoc eſt, obliuione) à mini-
ſtris obrueretur: Tamen *mox ex ſcrobibus cannæ*
ſeu arundines vocales enatæ ſunt, hoc eſt ipſo ſepul-
to exſtiterunt ſcriptores, qui poſteris aſininas aures
id eſt turpia ipſius facta prodiderunt. Vocales enim
arundines nihi aliud ſignificant, niſi ſcriptorum ca- Sabin.
lamos qui literarum monumenta conficiunt. Hi
enim calami vocem edunt; hi loquuntur, hi efferunt
arcana ſcrobibus obruta. Hæc *cum ita ſeſe habe-*
ant, mirari profectò ſatis nequeo, quid in mentem
noſtris aduerſarijs venerit, vt gladium, quo ipſi iu-
gularentur nobis traderent. Quamuis inueſtigan-
tem me coniectura ducat in hanc opinionem, vt ar-
bitrer crebris Hiſtoricorum *querelis, quas ſuis mo-*
numentis quoties vitia ſuorum ſunt notanda, vel vir-
tutes veterum commendandę, inſerunt, eos adduci vt D. 1.
hiſtoricorum teſtimonijs vti velint. Liuius ſtatim in lib. 1.
pirincipio ſui operis querelam admiſcet, dum inquit:
Ad illa mihi per ſe quiſq́; acriter intendat animum,
quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusq́;
artibus domi militiæq́; & partũ & auctum imperiũ ſit,

Labente deinde paulatim diſciplina, veluti deſides primo mores animo ſequatur: Deinde vt magis magisq; lapſi ſint: Tum ire cœperint præcipites, donec ad hęc tempora, quibus nec vitia noſtra nec remedia pati poſſumus ventum eſt. Huic ſimiles loci paſ-
D.1.l.10 ſim apud Liuium extant. Salluſtius etiam nus-
D.4.lib.1 quam non in ſui ſeculi corruptos mores inuehitur. Nec Tacitus & alij abſtinent, Scimus hæc. Et ſi ipſa rei veritas non reclamaret concedere ſaluâ cauſa noſtræ defenſione poſſemus, Romanos nonnihil à virtute maiorum ſuorum degeneraſſe. Neq; enim nos patrocinium illius ætatis qua Salluſtius floruit, ſuſcepimus, ſed noſtri æui defenſionem inſtituimus: Cæte-
Cic. 2. de Orat. rum cum neminem noſtrum lateat, non tantum ab hiſtorico requiri veritatem, hoc eſt, ne quid falsi dicere audeat, vel ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpitio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis: verum etiam ſcriptoris judicium de conſilijs, quid probet, quid reprehendat, conſiderari; Quomodo quæſo melius virtutes veterum commendari poſſent, quam productis diſsimilibus ſui ſeculi exemplis? Quomodo autem vitia ſuorum vehementis exagitarent, quam commemoratâ veterū integritate? Præterquā enim quod contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcant, accedit etiam, vt ipſi magis commoueamur ſi noſtra vitia cum aliorum virtutibus conferantur.
Plutar. in inſtit. Lacon: Lacedæmonij ſeruos ſuos inebriatos filiolis ſuis deridendos exhibuerunt, vt ipſi abominandâ ebrietatis fœditatate deterriti temperantiam eo impenſius amarent: Nos vt virtutis amore accendant Hiſtorici,

heroas

heroas ante oculos nobis proponunt, vt pulcritudine virtutum, qua ipſi excelluiſſe dicuntur, allecti, vitia eò magis deteſtemur. Et hæc vera & honeſta cauſſa eſt, ob quam hiſtorici proniores ſint ad veterum illuſtria facta commemoranda, quæ fortaſſe nunquam veterib. in mentem venerunt. Cui, ſi qui ſunt qui non acquieſcant, illis mox ſatis factum iri confidimus cum noſtræ & antiquæ ætatis inſtituerimus collationem. Nunc prius de ſenibus (ad triarios enim rem ijs rediiſſe video) iudicium faciamus.

Plaut. in Trniũ.

Quamuis autem, auditores humaniſſ. ſenum ætas, quæ ſapientiæ condimentum eſt, me nonnihil moueat metuentem videlicet ne iuuenilis videatur temeritatis, (hæc enim florenti ætati tribui ſolet) prudentiæ ſenili contra dicere: Tamen cum non tam ſenes oppugnatum, quam veritatem defenſum ad hanc prouinciam acceſſerim, ſpero veniæ mihi cum apud vos tũ apud ſenes locum relinqui, pręſertim cum vel ipſorum ſenum autoritate, querelas ſenum retundere poſſim.

Cic. in Cat. Maio.

Nam pręterquam quod omnibus notum ſit, viam peruolgatam ſenum ſeu patrum eſſe quotidiè accuſare, & adoleſcentes ex ſuâ libidine moderari nunc quæ eſt, non quæ olim fuit, quem quæſo fugit natura ſenibus id inſitum, vt laudatores ſint temporis actiſe pueris, & minorum caſtigatores? Cicero de ſuis temporibus queſtus ipſe ſe reprehendit, & dicit ſe ætatis vſum vitio: Recordari enim deſperationes eorum, qui ſenes erant adoleſcente ſe: Sed omnia meliores habuiſſe exitus. Quod ſi noſtros ſenes obſeruare voluerimus, nonne quotidie

Terent. in Haut.

Hor. in. art.

Cic. Ep. Fam. 16. lib. 2.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

diè illos quæ ipſorum eſt moroſitas, animaduertimus, ſuos obiurgando, degeneres vocando, & earum rerum affines eſſe quas fert adoleſcentia, vetando, ex pueris ilico naſci ſenes optando, prorſus oblitos eſſe, ſe fuiſſe pueros? At vbi adbiberint plus paulo, quæ tunc filijs ſuis non narrant facinora? Quid tunc illorum quæ ante vituperabant non referendo docent? Quid tunc illorũ, quæ iam reprehendunt, non à ſe perpetratum teſtantur? Ecquid videtis auditores quomodo ea veritate, quæ in vino eſt, ſenes ipſi ſe refutent? Quod ſi quorum adoleſcentia modeſtior & temperantior fuit, fortaßis paupertate coacti quieuerunt; Et nunc ſibi laudi ducunt, quod tunc fecerunt inopiâ. Iniurium eſt, inquit, Mitio, feciſſemus, ſi fuiſſet vnde fieret. Nec tamen ego patrocinari effræni & luxurioſæ quorundam adoleſcentiæ volo, nec propoſitum ſenum vituperare. Honeſtæ ſunt illorum obiurgationes, vtiles ſunt, & poſtmodo futuræ etiam jucundæ Id tantum oſtendere volebam, nihil hoc ſeculo committi, quod priori non ſit perpetratum, nec vllum iam dictum, quod non dictum ſit prius. Quod vero non tantum ſenes ſecum facere dicant, ſed populum ſed vulgus etiam: Id non tam prodeſſe, quam officere cauſæ illorum, certum habeo. Nam laudabiliora videntur omnia quæ ſine venditatione vulgi & ſine populo teſte fiunt. Cum .e. vanâ ac leui aura mobile vulgus ſit, & ex veritate pauca ex opinione multa æſtimet, quippe in quo non eſt conſiliũ, non ratio, non diſcrimẽ, nnon diligentia: Semper ſapientes ea quæ populus feciſſet aut dixiſſet, ferẽda, non ſemper

Terent. in Heaut

Terent. in Adel.

Terent. in prol. Eun:

Cice. 2. Th. Q.

Liu. D. 3. l. 4

Cic. 3. de Orat. pro Pl.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

per laudanda duxerunt. Offenduntur enim (inquit Horat.) quibus eſt equus, aut pater aut res. Plane. Hor.in arte.

Nec ſi quid fricti Ciceris probat aut nucis emptor,
Æquis accipiunt animis donantuè coronâ.

Cum pręterea pares cum paribus, veteri prouerbio facilimè congregentur; tanta verò ſit inter malos bonosq; quanta maxima poteſt eſſe, morum ſtudiorumq; diſtantia; nemini mirum videri debet, ſi improbi & imperita multitudo, quam nulla ciuitas non habet, bonis inuideant; malos verò vt ſui ſimiles extollant. Eſt apud Heraclitum phyſicum de principe Epheſiorum Hermodoro. Vniuerſos, ait, Epheſios morte eſſe multandos, quod cum ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt: Nemo de nobis vnus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio loco & apud alios ſit. An hoc (ait Cicero) ita non fit omni in populo? Nonne omnem exuperantiam virtutis oderunt? Quid Ariſtides non ab eam cauſam expulſus eſt patriâ, quod præter modum iuſtus eſſet? Cum igitur nemo eat negatum, quin veriſſimè hoc dicatur. Virtutem incolumem odimus.

Cic. in Cat. Liu.D.5 l.5. Salus. Bel.Cat. Cic.5. Th. Q.

Sublatam ex oculis quærimus inuidi

Hor.3. Car.Od. 24.

Quid mirum ſi monſtrum illud multorum capitum vulgus inuidiâ atq; odio cæcum, præſentem virtutem non videat, ſublatam ex oculis quærat & admiretur? Fit enim vitio malignitatis humanæ, vt vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio ſint. Sed ne cum ſtercore (quod dicitur) certantes, etiam victores maculemur, vulgus relinquimus, & ad vnicam quæ noſtris aduerſarijs reſtat,

Quintil. in Dial. de Orat.

arcem

arcem oppugnatum accingimur, nimirum Experi*entiam. Quamuis non tam oppugnabimus, quam à ſuperbo hoſtium dominatu liberabimus. Nam cum id, quod vltimum eſt in ſeruitute, videatur, adempto per inquiſitiones & loquendi audiendiq; commercio: Quomodo maiori ſeruitute (vt ita loquar)* Experientia *opprimi poſſet, quam qua cogitur, veritate diſsimulatâ, mendacijs imperitorum hominum contra voluntatem ſuo ſuffragio adſtipulari? Quare huic loquendi libertate redditâ, facilè ab hac pro tanto merito impetrabimus, vt abq; vllâ* προσωποληψία *veritati adhærere & pro nobis ſententiam dicere non dedignetur. vt autem eo rectius de ſingulis docere nos queat, imprimis curæ nobis erit, vt ordinè atq; diſtinctè quælibet ipſi proponantur. Primum igitur totum genus humanum diuidemus in ſexus; virilem nimirum & muliebrem,* Et *de hoc quidem prius dicemus, quippe quem paucioribus ac illum ſumus abſoluturi*

Tacit. in vit. Agric.

Cum cuſtos virtutum omnium dedecus fugiens, laudemq; maximè conſequens verecundia ſit; quam dignam Valerius Maximus ait; cui perinde atq; cœleſti numini extruantur templa aræq; conſecrentur; Rectè commendationem fœminarum antiquarum ab hac virtute ordiuntur. Hæc enim parens eſt omnis honeſti conſilij tutela ſolennium officiorum, magiſtra innocentiæ, cara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem præ ſe ferens vultum. Quia verò pudor ſeu verecundia, tantam cum pudicitiâ habet cognationem,

Cic. in Partio. lib. 4. cap. 5.

Ibidem.

vt ab

vt ab illa hæc ſeparari non poßit, quippe cuius præſidio puerilis ætatis inſignia munita ſunt, cuius reſpectu ſincerus juuentutis flos permanet, qua cuſtode matronalis ſtola cenſetur; ſtatim hanc illi ſubiungunt, ijsdemq; ferè exemplis vtramq; illuſtrant. Et principio quidem commemorant obſtinatam pudicitiam Lucretiæ, quam ipſa animoſo illo ſuo interitu adeo commendabilem reddidit, vt nulla verba ad huius laudationem ſufficiant. Et ne ſolius Lucretiæ animus tantæ virtutis capax fuiſſe videatur, Theoxenam quoq; adducunt, quæ, ne libidinem Philippi regis Macedonum experiretur, ſeipſam cum ſororis ſuæ filijs interemit, Adduntur huic impenetrabilis Agrippinæ pndicitia, nec non Claudiæ Quintiæ, etiam matris Deorum teſtimonio comprobata. Commemorantnr, veteres Germanæ, quæ ſeptâ pudicitiâ agentes, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus ſunt corruptæ. Laudatur etiam pulcra illa virginiæ & plebeiarum cum patricijs mulieribus de laude pudicitiæ æmulatio. Laudibus euehitur Chiomatha Orgiagontis reguli vxor, quæ tribunum mil. ſtupratorem ſuum occidi iuſſum, capite, quod ad maritum ſuum deferret, truncauit. Quid de Candaulis vxore dicam, quid de Lydis, quorum hi magni probri loco habent, ſi nudi conſpiciantur; illa etiam interficiendi regis ſui auctor fuit, quod ab hoc Gygi conſpicienda eſſet exhibita. Perſuaſum enim habebat mulierem exutâ tunicâ verecundiam pariter exuiſſe. Corollarij loco adiiciunt Tentonorum quoq; coniuges, quæ cum captæ Mari-

Val.M. lib.6.c.1

Liu.D.1 lib. 1.

D.4.l. 10.

Tacit.4. An.

LIu.D.3 l.9.

Tacit.de mor. De.Ger.

Liu.1. l.10. D.4. l.8.

Herod. lib.1.

Valer. Maxi.li 6.C.1.

um victorem oraſſent, vt ab eo virginibus veſtalibus dono mitterentur, affirmantes, æquè ſe atq; illas virilis concubitus expertes futuras, id vero non impetraſſent, laqueis ſibi Spiritum eripuerunt. Hinc in noſtras miſeras mulieres inuehuntur, neſcio quæ non impudica illis obijcientes. Inficias ſane ire nequeo, multa fœdæ libidinis facinora quotidie perpetrari. Quarundam vero ob culpam omnes malè audire, iniurium eſt. Parcite (inquit Ouid.) paucarum diffundere crimen in omnes

Spectetur meritis quæq; puella ſuis

Ouid.

Sunt & apud nos multæ pudiciſsimæ virgines, multæ ſunt caſtiſsimæ matronæ, quas Lucretiæ vel alijs in pudecitię laude vel minimum concedere pigeret. Quod vero tot præclara pudicitiæ exem pla ex vetuſtate congerunt, non poſſum equidem ea non probare: Sed ad prærogatiuam vetuſtatis facere tum demum fatebor, ſi ex vnà ætate hæc omnia petita, ſi in vna gente vel vnò in populo caſtiſsimas illas feminas omnes floruiſſe, ſi deniq; illis temporibus nullas impuras mixtas fuiſſe caſtis audiuero. Si vero ex multis non tantum ſeculis ſed annis millenarijs etiam deſumpta eſſe concedant, quà fronte exigent, vt hoc vnicum noſtrum ſeculum tot raræ pudicitiæ exempla proferat, quot illi ex omnibus congeſſerunt. Quod ſi nobis quoq;, vt ex poſterioribus ſeculis nonnulla mutuemur, permittant, profectò reipſa experientur nihil hæc à prioribus degeneraſſe. Nam vt omittam ſanctiſsimas multas feminas, quas Longobardica hiſtoria ob pudicitiam commendat, tantum conſideretur Ag-

Longobardica. hiſtoria.

tur Ag-

tur Agnes virgo vt pudiciſsima ſic etiam pulcerrima, quæ cum ab vrbis præfecto circa annum Chriſti 303. miſerè adamaretur, hicq; furens libidine, nihil nec prece nec precio efficere poſſet, in ignem conie cta, cultroq; (quia exuri non poterat) confoſſa Spiritũ Chriſto reddidit. Conſideretur Margarita, quæ cum Olibrio capitaneo nubere nollet; magnoq; animo idolorum ſacrificia deſpiceret, nuda ſuſpenſa eſt, cæſa eſt, crudeliter lacerata eſt; & cum nec ſic quidem Olibrij voluntati ſatisfacere vellet, candelis ſeu facibus ardentibus nudum eius corpus ita cruciatum eſt vt in teſtina comparuerint. Nec tamen furor tyraun reſtinctus eſt: Sed inſuper etiam vaſi, quod aqua frigida erat repletum, alligandam illam curauit, tantâ ſæuitiâ vt eam terra ipſa tremore ſuo manifeſto refugerit, & miraculo ingenti circiter quinq; millia hominum aſtantium conuerſi ſint. Ad extremum igitur caput oportuit amputari. Quis iam neget hanc ceu veram Margaritam vel gemmam inter omnia illa prius recitata exempla eminere? Sed videamus plura. Anno æræ Chriſtianæ ſupra trecenteſimum, decimo, mulier Chriſtiana à miniſtris Maxentij ad libidinem poſcebatur. Hęc vero vbi marito metu profecto relictam ſe ſtupro atq; ignominiæ vidit, paululum temporis ad ſe ornandam petiuit, ac cubiculum ingreſſa, vt pudicitiam, eo quo poterat modo, ſeruaret, gladio ſibi pectus aperuit. Quid de Hermingarde ſeu Hildegarde Caroli M. coniuge dicam? Quæ anno Chriſti 772. clariſsima pudicitiæ ſuæ documenta dando periculum vitæ ſponte ſubi-

Dioniſius Carthuſanus in vita S. Margaritæ.

Signonius occid lib. 2.

Friſchlinus ex annalib. Campidonenſi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

tè ſubiuit. Nam cum Talandum leuirum pudicitiæ ſuæ inſidiatorem muliebri aſtutiâ cuſtodiæ tradidiſſet, idq; factum Talandus poſt reditum fratris à bello Saxonico turpiſsimis calumnijs, nimirum reginam adulterij ream faciendo, vlciſceretur, oculis priuata procul dubio regina fuiſſet, nî Fredebergius, Dei ita diſpenſantis conſilio, innocenti ſuccurriſſet. Sed hęc viſum retinuit.

Sabel. lib. 4. cap. 8.

Lucia vero Syracuſana, cum ſentiret à pulcritudine oculorum ſuæ virginitati periculum intendi, qui præter cætera expeterentur ab inſanâ tyranni libidine, ſponte ſibi hos auulſos deferendos dedit inſano regi, ſatius rata parte corporis vnâ, etſi nobiliſsimâ, quam animâ, quę multò ſit nobilior, periclitari.

Sigon. lib. 8. de regn. Ital.

Huius corpus Henricus 2. Imp. Siracuſis ablatum Conſtantinopolim transportari curauit Anno Chriſtiferi partus 1039. Digna fuit virgo cui etiam poſt mortem honos haberetur.

Ludouicus viues de inſtit. fœm Chriſt. lib. 1.

Braſyllæ autem Dyrachinę qui dignus virtute honos tribuetur? Hæc cum ab improbo capta milite vim paſſura eſſet, promittit militi, ſi virginitatem ſibi relinqueret illibatam, ſe donaturam ei herbam, quam ſi manducaret, nullo telorum genere eum vulneratum iri. Placet militi conditio, & in hortos virginem comitatur; ibi herbam, quæ erat proxima, virgo decerpit, eamq; manducans; En ait, ne quid de herbæ huius efficacia dubites, in me periculum facito, & hæc dicens feriendum ei prębet iugulum. Miles fidem habens puellæ verbis, ſtricto enſe dum petit eius iugulum, inuitus ipſam vitâ priuat.

Andrea Honsdorfius.

Ne Baldraca quidem puella generis obſcuri peregrinæq; conditionis quam-

*quamuis multarum rerum ob paupertatem eſſet indi-
gâ , voluit tamen corporis ſui copiam facere Othoni
imperatori , licet montes & maria (quod dicunt)
pollicenti. Nec noſtra & patrum ætas talibus exem-
plis caret. Nam vt nihil dicam de honeſtiſsima &* Lucae
pudiciſsima matrona Genaenſi , quæ annos 12. exu- Loſsius
*lauit in veſtitu virili in Alcairiâ, & tandem mirabi-
liter Anno 1424 reuerſa eſt cum marito in patri-
am; Nonne imperante Maximiliano Iſabella Raui-
gana ruſtica puella, cum propter formam ad ſtuprum* Andreas
à militibus Venetis raperetur, & alia ratione effuge- Hons-
re non poſſet, ſeſe ex ponte in Medoacum præcipita- dor.
uit? Quid in Burgundiâ ſuperioribus annis accidit In Col-
vbi cum princeps quidam admodnm libidinoſus iter lectan:
faceret , & à miniſtris in hoſpitium, in quo præſtan- Malij.
*tiſsimâ formâ erat puella, ductus ;eſſet, virgo monita
à parentibus , noluit ex ædibus paternis cedere, ſed
ſe pudcitiæ ſuæ cuſtodem futuram dixit. Princeps
primo puellæ aſpectu commotus , ſtatim in cubicu-
lum quod poſtulabat à puella deductus eſt. Verum
cũ vim ipſi intentaret , ipſa miniſtris principis prius
ablegatis , perones vt ipſi detraheret , impetrauit.
Cũ itaq; vtramq; ocream dimidiã detraxiſſet, & prin-
ceps ita ocreis implicitus eſſet, vt ſequi non poſſet, illa
pudicitię ſuæ fugâ conſuluit. Hocq; ſtratagemate non
tantum ſe illæſam præſtitit ; verum etiam principem
commouit vt 4000. coronatorum, dotis loco, ipſi do-
naret. Demonſtraſſe videor, auditores ornatiſsimi,
nihil in pudicitiæ laude noſtra tempora antiquis ce-
dere. Quod ſi paucas huiuſmodi, quales recenſui-*

 mus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Herod. lib. 1.
Liu. D. 1. lib. 8.
D. 2. lib. 4.
D. 5. lib. 2.
Senec. 6. de Ben. ca. 32.
Tacit. 11. Ann.
Curt. lib. 6.
Gell. lib. 1. cap. 8.
Herod. In Clio.
Herod. in Euterpe.

mus, apud nos eſſe cauſentur: Ne apud veteres quidem copiam talium fuiſſe, regerimus. Nam vt taceam raptus mulierum Ius, Europę, Medeæ Helenæ, de quibus Herodotus ait: δῆλα δὴ, ὅτι εἰ μὴ αὐταὶ ἐβουλέατο, οὐκ ἂν ἡρπάζοντο. *Vt nihil dicam de Minutiâ, Sextiliâ, opimiâ atq; Floroniâ veſtalibus virginibus, quæ damnatę ſtupri atq; inceſti viuæ ſubterram defoſſæ. Vt prætercam Auguſti filias, quibus forum ipſum ac roſtra, ex quibus pater legem de adulterijs tulerat, in ſtupra placuerunt. Vt etiam nihil de Meſſalina impudiciſsima feminarum verborum faciam quæ nobiliſsimam ex proſtitutis ancillam mercenariæ ſtipis, quam ad certamen veneris elegerat, die ac nocte ſuperauit, quinto ac viceſsimo concubitu. Vt deniq; Laidem & Thaidem ſilentio prætermittam, quarum hæc Alexandro fuit auctor incendendæ regiæ Perſepolis, uius ſimile opus in toto Oriente non fuit: Illa vero neminem admittebat, niſi dantem quod popoſcerat. Vnde etiam Demoſthenes, cum ab ipſo petijſſet meretrix mille coronatorum Francicorum, dixiſſe fertur* οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν *hoc eſt. Ego pœnitere tanti non emo. Vt inquam, has & alias innumerabiles, quæ recenſeri poſſent, omittam; Nonne de totis gentibus talia poſſunt commemorari? Nonne Herodotus auctor eſt Lydorum filias omnes meretricari ſolitas, atq; hoc quæſtu tantiſper dotem collegiſſe, dum nupſerint? Quid Ægyptiæ mulieres? Nonne omnes meretrices inuentæ? Cum enim Phoron rex Ægypti Seſoſtris filius, oculis captus oracu-*

lum

lum accepiſſet, viſum ei rediturum, ſi oculos abluiſſet, lotio mulieris, quæ ad ſuum ſolum virum acceßiſſet, aliorum virorum expers. Nec vxorem ille nec vllam aliam caſtam repperit, præter ſolam hortulani cuiusdam coniugem, quam, cum eius vrina lotus viſum recepiſſet, in vxorem duxit, reliquas vero omnes, quas expertus fuerat, in vrbem coactas, cremauit. Quid? Nonne idem Herodotus teſtatur apud Gindonas eas mulieres habitas eſſe præclariſsimas quæ à plurimis viris venerem paſſæ? Auſes vero, in- In Ter.
quit promiſcue cum mulieribus non vna habitantes, pſichor
ſed pecudum more concumbunt. Vbi apud mulierem puer robuſtus iam factus, apud quem virum habitare ſuſtinet, eius filius cenſetur. Ex his igitur exemplis videre eſt, optimi auditores, injuriam noſtratibus fieri mulieribus ſi in pudicitiæ certamine Cic. 3.
antiquis fingantur inferiores. Sed neq; in pietate Th.
erga maritos vel tantillum prioribus concedunt. Quæſt.
Commemorant illi quidem Arthemiſiam illam Mauſoli Cariæ regis vxorem, quæ nobile illud Hali- Cic. 5.
carnaßi fecit ſepulcrum, quod quam diu vixerit, vi- Th. Q.
xerit in luctu, eodemq; etiam confecta contabuerit. Herod
Commemorant fœminas Indicas & Thracenſes, in- In Terp
ter quas, vbi maritus diſceßit, diſceptatio magna fit, acri amicorum circa hanc rem ſtudio, quænam (ſinguli enim viri plures vxores habent) dilecta fuerit à marito præcipuè. Quę talis judicata eſt, & hunc honorem adepta, ea à viris ac mulieribus exornata, ad tumulum à ſuo propinquißimo mactatur, vnaq; cum viro humatur, cæteris vxoribus id ſibi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

pro ingenti calamitate ducentibus. Commemorant
Tacit. Paulinam cum Seneca marito voluntariâ morte pe-
15. An. rire conantem; Antoniam Flacillam maritum ſuum
Ibid: Nouium Priſcum in exilium comitantem: Egnati-
am Maximillam ſpontaneum cum marito ſuo Glitio
Gallo exilium tolerantem; Arriam mariti Thraſeæ
16. Ann. ſuprema & exemplum Arriæ matris ſequi volentem.
Plin. Commemorant Portiam Catonis filiam, quæ cum
Ep.60. apud Philippos Brutum coniugem victum & inte-
Polyæ- remptum eſſe cognouiſſet, quia ferrum non dabatur,
nus lib9. ardentes ore carbones haurire non dubitauit. Com-
Val. memorant deniq; vxores Myniarum quos à Lace-
Max. lib dæmonibus ob affectati regni crimen publicæ cuſtodiæ
4.cap .8. incluſos, & iam iam perituros illæ velut allocuturæ,
Plutar. impetrato à cuſtodibus aditu, conuenerunt, commu-
de vir- tatâq; veſte, per ſimulationem doloris velatis capiti-
tut.mul. bus abire paſſæ ſunt. Hæc (inquam) & ſimilia mul-
ta quidem commemorant: verum tacent in-
Liu.D.1 terea de Tullia Seruij regis Romanorum filiâ, non
lib.1. tantum per patris, ſuo inſtinctu interfecti, corpus,
carpentum agente, partemq; ſanguinis ac cædis pa-
ternæ cruento vehiculo ad penates ſuos ferente; ve-
rum etiam proprium maritum è medio tollente.
D.6.lib. Tacent de Cleopatrâ, quæ Demetrium virum ſuum
19. & Seleucum filium interemit, multum indignata,
quod occiſo patre eius á ſe, iniuſſu ſuo diamdema
D.9.lib. ſumſiſſet. Tacent de Baſtiâ (O veram beſtiam!)
9. Metellum coniugem ſuum proſcriptum, ad id neceſ-
ſitatis redigente, vt ſe transfoderet, & ſanguine
Tac.4. ſuo fores reſpergeret. Tacent de Liuiâ nepte Au-
Annal.
guſti,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

guſti, Druſi coniuge, quæ marito ſuo, inſtigante Seiano adultero, necem afferre non dubitauit. Tacent de Agrippinæ impietate, Claudium Cæſarem per adminiſtros veneno necantis, vt filium Neronem à quo poſt interficeretur, ad imperium proueheret. Tacent virorum omne genus in quadam inſulâ coniuratione muliebri à ſtirpe ſublatum eſſe. In noſtrarum autem mulierum impietate notandâ Lyncei ſunt, & in hac exaggerandâ plusquam Atticam adhibent eloquentiam. Nec animaduertunt, vel potius nolunt animaduertere, eâ laude, quæ coniugum pietati debetur, hanc noſtram quoq; ætatem non eſſe deſtitutam. Nam vt ex multis pauca referam, quis Weinsbergenſes mulieres Myniarium (de quibus dictum) vxoribus poſtponeret? Illæ enim armis & fame expugnato oppido Weinsberg à Cunrado III. Imp. intelligentes Welphum Bauariæ ducem, cęterosq; equeſtris ordinis viros, mandato Cæſaris vinctos in cuſtodiam abijciendos, oppidum à militibus diripiendum, ciues verò vitam & libertatem retenturos: Illæ, (inquam) impetratâ poteſtate, vt ſibi ſaluis abire liceret, portantibus quantum vnaquæq; poſſet; non aurum, non gemmas, non mundum muliebrem aut pecuniæ aliquid ſecum extulerunt; Sed omnibus his rebus militum prædę relictis maritos ſolos, in humeros ſublatos, & paruos liberos in ſinu atq; amplexu tenentes, vrbe aſportabant. Quâ ingenioſa philoſtorgiâ mulierum mirificè delectatus imperator, omnibus conuiuio exceptis clementer ignouit. Par his virtute fuit vxor Fernandi Gonzalij Caſtellę comitis.

Tac. 12. An. Liu. de: 4. l. 4

Lucas Loſsius.

Ludouicus Viues.

Nam quum rex Germanicæ legionis, quæ vrbs eſt in Hiſpaniâ Aſturenſi, maritum in cuſtodiâ teneret, ipſa velut viſendi gratiâ ad carcerem venit, viroq; perſuaſit, vt cultu ſecum commutato, ſe ſubduceret, ac ipſam ibi relinqueret in caſum periculi, quod & fecit. Rex admiratus mulieris pietatem, precatus tales ſibi ſuisq; liberis coniuges, illam marito remiſit.

Ludouicus Viues.

Ex eadem gente illa, quæ Roberto Britanniæ regi nupta fuit: Quum maritus in expeditione aduerſus Syrios vulnus in brachio accepiſſet grauiſſimum gladio venenato, rediiſſetq; in patriam, nec ſanitati reddi, poſſet, niſi pus illud virulentum alicuius ore exugeretur: Rexq; certiſſimum illi parari exitum intelligens, quicunq; id muneris obiiſſet, nemini eiuſmodi diſcrimini obiicere ſuſtineret: ipſa noctu ſolutis vulneris faſciis, primum inſcio marito, poſt etiam conniuente, exugens & paulatim expuens, venenum omne elicuit, plagamq; medicis præbuit facillimè curandum.

D. Dauid Chytræus in Saxoniâ

Cui, Elizabetæ, Caroli V. ſororis pietas eſt inaudita? Hanc rex Chriſtianus, reditu in Daniam feré deſperato, in Belgicum concedens, fidiſſimam exilij comitem habuit, adeo etiam, vt cum ab omnibus Daniæ ordinibus, obedientiam ipſi tanquam Reginæ deferentibus, in regnum reuocaretur, maluerit marito exilij ſocia eſſe, quam ſine marito regnare. Pudet me, auditores, plura exempla vobis, jamdudum, vt video, noſtræ cauſæ fauentibus commemorare. Nec pudet aduerſarios rei luce meridianâ clariori contradicere? Sed contradicant ſane quoad poterunt, dum parum ſuis contentionibus

effici-

efficiant. Nam ſi in maximis & proprijs matronarum virtutibus, nihil hactenus ab inquitate noſtro ſeculo derogari potuit: facilius laudem in reliquis obtinebit. Id autem vt fiat, hæc res ſola eſt remedio: Si ob fortitudinem illi nominabunt Amazonas; nos Dithmarſicas continuo. Si quando illi dicent Camillæ virtutem videamus; Nos vexilliferæ virginis Wurſaticæ fortitudinem conſideremus. Si laudabunt hi Zapphus ingenium: Nos Annę Sabinæ, Mariæ Gornacenſis, Bockhouiæ, Annæ de Vtenhouiâ & aliarum contra. Deniq; par pari referamus, quod ipſos mordeat. Quod verò garrulitatis, ambitionis, luxuriæ in veſtitu, leuitatis, cunctationis & aliorum reas noſtras mulieres faciunt: Næ illi non tam noſtras accuſant, quam veteres ijſdem criminibus damnant. Plaut. in *Nec hæc mulierum ſunt vitia ſed ſexus. Nam de garrulitate cui dubium, cum ipſa Eunomia Plautina fateatur, multum loquaces* Aulular. *merito omnes mulieres haberi: Nec mutam repertam vllam eſſe mulierem vllo in ſeculo. Et alibi* In Pœnul. *Plautus dicit, muliebrem ſupellectilem eſſe clarum clamorem. De ambitione verò quot, Deus immortalis, facinora narrari poſſent. Nonne Tullia maritum ſuum quotidie obiurgauit, vituperauit, & deniq; etiam trucidauit, quod ſocerum regnandi cauſâ* Liu. D. 1. l. 1. *interimere nollet? Nonne verſuta illa mulier Tanaquil ſuâ ambitione, virum ad imperium euexit?* Ibid. D. 1. lib 6. *Nonne ambitio Fabię C. Licinio ſtoloni nuptæ, multarum turbarum & conſulatus petendi cauſa plebi fuit? Nonne virginiam Auli filiam, patriciam ple-* Ibid.

beio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

beio nuptam, matronæ, quod è patribus enupſiſſet,
D.3.lib4 ſacris arcuerunt? Nonne Demarata filia Hieronis Andronodoro marito ſuo conſilium dans, de occu-
Tacit.3. An. pando principatu Siciliæ, multarum, quæ ſecutæ ſunt, calamitatum fuit fons & origo? Recte igitur Cæcinna pronunciauit, mulierem non imbecillem, tantum & imparem laboribus ſexum: Sed ſi licentia adſit, ſæuum, ambitioſum, poteſtatis auidum. Iam ſi ad cultum & veſtitum muliebrem reſpexeris, quota quæq;
In Moſtel. inuenietur, quæ Schaphæ ancillæ apud Plautum credat, quod non veſtem amatores mulieris ament, ſed veſtis ſartum? Et quod pulcrum ornatum turpes mores peius cœno collinant? Quota quæq; Senecæ fidem
...t.deBen cap.10 habebit dicenti, cultum corporis nimium & formæ curę, præ ſe ferre animi deformitatem? Quota quæq;
Corn. Nep. in vita Agri. inuenietur, quæ elegans non magnifica, ſplendida non ſumptuoſa, omni diligentiâ munditiem non affluentem affectet? Nonne ferè in omnes, paucis exceptis,
Plaut. in Pœnulo. id dici poteſt, quod de ſe & ſorore Adelphaſium fatetur?

> Negotij (ait) ſibi qui volet vim parare,
> Nauem & mulierem, hæc duo comparato.
> Nam nullæ magis res duæ plus negotij
> Habent, forte ſi occeperis exornare.
> Neq; vnquam ſatis hæ duæ res ornantur,
> Neq; eis vlla ornandi ſatis ſatietas eſt.
> Atq; hæc ita loquor, nunc modo docta dico.
> Nam nos vſq; ab Aurorâ, ad hoc quod diei eſt,
> Poſtquam aurora illuxit, nunquam ceſſauimus
> Ex induſtriâ ambæ nunquam conceſſauimus

Laua-

Lauari, aut fricari, aut tergeri, ornari,
Poliri, expoliri pingi, fingi: Et vna
Binę ſingnlis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos, lauando, eluendo, operam dederunt,
Aggerundaq́ aqua ſunt viri duo defeßi.
Apageſis negotium quantum in muliere vna eſt.
Si verò duæ, ſat ſcio, maximo vni
Populo cuilibet plus ſatis dare potis ſunt.
Quæ noctes dieſq; omni in ætate ſemper
Ornantur, lauantur, tergentur poliuntur,
Poſtremò modus muliebris nullus eſt
Neq; vnquam lauando & fricando ſcimus
Facere modum etc. cauſam poſtea prætendit,
Soror (inquiens) cogita amabo, item nos perhi-
Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur. (beri
Sine omni lepore, & ſine ſuauitate,
Niſi multa aqua & diu macerantur.
Olent, ſalſa ſunt, tangere vt non velis: Item nos Liu.D.4
Eiuſcemodi, mulieres ſunt inſulſæ (ſumus l.4.7.de
Admodum, atq; inuenuſtæ ſine munditia & ſumptu

Vnde etiam L. Valerius muliebris luxuriæ defenſor dixiſſe videtur: Munditiæ & ornatus & cultus hæc feminarum inſignia ſunt; his gaudent & gloriantur hunc mundum muliebrem appellarunt maiores noſtri etc. Quamuis multę non tam ornentur veſtitu ſuo, quam deformentur, nec tam munditiem præ ſe ferant, quam ſpurcitiem, quemadmodum pulcrè videre ex hoc Senecæ: video, inquit, ſericas veſtes, ſi ve- Sen. 7 ſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt quo defendi Ben. cap. aut corpus aut deniq; pudor poßit. Quibus ſumptis 9.

mulier parum liquido nudam ſe non eſſe, iurabit. Hæc ingenti ſumma ab ignotis etiã ad commercium gentibus acceſſuntur, vt matronæ noſtræ non adulteris quidem plus ſui in cubiculo quã in publico oſtendant. Miſerum igitur illum virum (inquit Cato) & qui exoratus, & qui non exoratus erit ab vxore, cũ quod ipſe non dederit datum ab alio videbit. Quod cum ita ſit, exploratum habere videmini auditores, non nunc ſed ſemper mulieres & malo & damno mactaſſe viros, cũ & nimio ſumptu fecerint, vt quæſtus conſiſtere non poſſet, & nimium ſe ornando rem domeſticam neglexerint, præſertim cum tantum temporis ad id inſumant, vt dum moliuntur, dum comuntur, annus eat. Vnde & Plautus mulierem natam eſſe ex mora colligit. Et *mirum profectò eſt illas in ſe exornando tantum moræ tantum aſsiduitatis poſſe adhibere cum aliàs notiſsimum ſit mulieres animum, qui eas gubernat, infirmum gerere, & proinde leui eſſe ſententia; nolle vbi velis, vbi nollis, cupere vltro. Verum enim verò cum nulla mulier inueniri poſsit, quæ careat culpâ, nihil amplius de vitijs illis, quæ omnibus ferè ſunt communia, dicam. Nam ſi omnia vberius eſſent perſequenda in infinitum noſtra creſceret oratio. Finem igitur ei orationis parti, qua mulieres noſtras cum veteribus æquauimus, imponentes, ad virilem ſexum reuertemur, quem ſecundum ætates hominis primùm conſiderabimus. Cognitis enim proprijs cuiuſq; moribus facilius erit de reliquis iudicium facere. Comparat autẽ Ouidius hominũ ætates cum quatuor anni temporib.*

Liu. D. 4 l. 4,

Plaut. in Aulul.

In Pœnul

Ter. in Haut.

Pl. in Mil

Ter. in Hecy.

In Eun.

In Hecy.

Quid

Quid non in ſpecies (inquit) ſecedere quatuor anni
Aſpicis, ætatis peragentem imitamina noſtræ?
Nam tener & lactens puerique ſimillimus æuo
Verè nouo eſt; Tunc herba nitens & roboris ex-
(pers
Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes.
Omnia tunc florent, florumque coloribus almus
Ludit ager, neque adhuc virtus in frondibus vlla eſt

Sicut autem puerilis corporis vires rectè herbæ lactenti aſsimilat Ouidius: Sic rurſus ingenium ſeu mentem corporis viribus accommodat Lucretius. lib. 3.

Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenuis.

Mores Horatius his exprimit: In arte poet.

Reddere qui voces iam ſit puer & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè & mutatur in horas.

Et Cicero: In pueris vt in ſpeculis natura cernitur: 5. de Fin. Quanta ſtudia decertantium ſunt? Quanta ipſa certamina? vt illi efferuntur lęticia cum vicerint? vt pudet victos? vt ſe accuſari nolunt? Quam cupiunt laudari? Quos illi labores non perferunt, vt æqualium principes ſint? Quæ memoria eſt in his benemerentium? Quæ referendæ gratiæ cupiditas? Atque ea in optima quæque indole maximè apparent. Ecquid animaduertitis, auditores humaniſsimi, quam proprie hic puerorum natura & mores quaſi penicillo depinguntur? Et hæc licet illi ante mille ſexcentos annos de pueris ſcripſerint; nihil tamen hic notatur, quod non ad noſtros quadret: nihil in no-
ſtris ob-

ſtris obſeruatur, quod illi non in ſuis notarunt. Sed pergit Ouidius in ſua comparatione:

Tranſit iu æſtatem poſt ver robuſtior annus
Fitq; valens iuuenis; Neq; enim robuſtior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla eſt.

Pergit & Lucretius:

Inde vbi robuſtis adoleuit viribus ætas,
Conſilium quoq; maius & auctior eſt animi vis.

Ouid. 9. Met.

Hinc etiam Hebe fingitur vxor Herculis, eo quod pubertas ſeu florens ætas coniuncta eſt cum robore, quod per Herculem intelligitur propter eius fortia facta. Sed hi tantum de corporis & intellectus incrementis agunt, quamuis Ouidius per ardorem iuuentutis etiam mores illorum feruidos videatur notare: Horatius certè ad ipſos mores collineat:

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine cam-(pi
Cæreus in vitium flecti, monitoribus aſper:
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis cupidusq; & amata relinquere pernix.

Ter. in Andr.

Quid auditores? Nonne hæc etiam de noſtri ſeculi iuuentute videntur pronunciata? Nam ſi ſtudia primum conſideremus, quis non ſtudia prorſus eadem in adoleſcentibus iam deprehendit? Nonne id pleriq; omnes faciunt adoleſcentuli, vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos? Aut columbas paſcere, aut auibus retia tendere, aut piſces capere hamis? Addit deinde Horatius: cæreus in vitium flecti: Sicut enim liquefacta cera facile in quamuis

figuram

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

figuram transformatur; facilius autem artificis operam inanem reddit, ſi obiecto alicui durius nonnihil admoueatur: Sic adoleſcentes parentum aut præceptorum diſciplina optimè efformati, omnem virtutis effigiem amittunt, ſi ad voluptatis, blandiſsimę dominæ inſtrumenta offendant: Plautus ſimulacrum ædium adoleſcentem habere dicit:

Ædes (inquit) quom extemplò ſunt paratæ, ex-
Factæ probé, examuſsim, (politæ
Laudant fabrum, atq; ædes probant; ſibi quisq;
Inde exemplum expetunt, ſibi quisq; ſimile,
Suo vſq; ſumptu, operæ ne parcunt ſuæ.
Atq; vbi illò immigrat nequam homo, indili-
(gens In Moſtel.
Cum pigra familia, immundus, inſtrenuus,
Hîc jam ædibus vitium additur,
Bonæ cum curantur malè.
Atq; illud ſæpe fit, tempeſtas venit,
Confringit tegulas, imbriceſq; ibi
Dominus indiligens reddere alias ne volt,
Venit imber, lauit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aër operam fabri;
Nequior jam factus eſt vſus ędium;
Atq; haud fabri culpa, ſed magna pars hominum
Morem, hunc induxerunt. Si quid nummo ſar-
(ciri poteſt
Vsq; dum mantant, neq; id faciunt, donicum
Parietes ruunt; ædificantur ædes totæ denuo.
Hęc argumenta ego ędificijs dixi. Nunc etiam
(volo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Dicere: vt homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberûm ſunt,
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum,
Extollunt, parant ſedulo infirmitatem,
Vt in vſu boni, & in ſpeciem populo
Sint, ſibiq; aut materiæ ne parcunt,
Nec ſumptus ibi ſumptui eſſe ducunt:
Expoliunt, docent literas, jura & leges,
Sumptu ſuo & labore nituntur, vt
Alij ſibi eſſe illorum ſimiles expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis da-
Tum aliquem cognatum ſuum (nunt
Eatenus abeunt à fabris.
Vnum vbi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quò eueniat ædificatio.
Nam ego ad id frugi vſq; & probus fui, in fabro-
(rum poteſtate dum fui:
Poſteaquam immigraui in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illico oppidò.
Venit ignauia, ea mihi tempeſtas fuit,
Ea mihi aduentu ſuo grandinem, imbremq; attu-
Hæc verecundiam mihi & virtutis modum (lit,
Deturbauit, detexitq; me illico,
Poſt illa med obtegere negligens fui,
Continuò pro imbre amor aduenit in cor meum.
Is vſq; in pectus permanauit, permadefecit
Cor meum, Nunc ſimul res, fides, fama, virtus,
Decusq; deſeruerunt: Eò ſum in vſu
Factus nimiò nequior. Atq; ædepol ita
Hæc ſigna humidè putrent, non videor mihi
Sarcire poſſe ædeis meas, quin tota Perpe-

Perpetuo ruant, quin cum fundamento
Pererint, nec quiſquam eſſe auxilio queat,
Cor dolet, quom ſcio nunc vt ſum, atq; vt fui;
Quo neq; induſtrior de juuentute erat,
Arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,
Curſu, armis, equo; victitabam volupe,
Parſimonia & duricia, diſciplinæ alijs eram,
Optimi quiq; expetebant eam doctrinam ſibi,
Nunc poſtquam nihil ſum, id verò meopte in-
(genio repperi.

Hæc ipſe de ſeſe Philolaches adoleſcens fatetur, ſed
perſonam gerit omnium ferè adoleſcentum; Nec vero
eorum tantum, qui pro deploratis habentur, & nun-
quam ad frugem redeunt, verum etiam qui ex mol-
libus & ignauis adoleſcentibus, acres & bellicoſi Ouid.
viri extiterunt, & ex effeminatis (quod Cænei fa- 12.Met.
bulæ docet) viri fortiſsimi. Quapropter id quod de
ſe confitetur Philolaches, id ſibi dictum putent, non
modo noſtri ſeculi adoleſcentes; verum etiam anti-
qui, & inter hos ſummi illi viri: Scipio Africanus,
quem pater ſuus (teſte Næuio) cum pallio vno ab a- Gel.lib.
micâ abduxit; Polemo, cuius animus peregrinatus 6.cap. 8.
eſt in nequitia, non habitauit: Themiſtocles, pro- Vāl.llb.6
pter cuius turpitudinem pater Neocles abdicationis c.9. Ibid.
notam ipſi inurere, mater ſuſpendio finire vitam co- Æmyl.
acta: Cimon, cuius incunabula opinione ſtultitiæ Prob.
fuerunt referta: C. Flaccus proprio etiam fratri co- Liu.D 1.
gnatisq; alijs, ob adoleſcentiam negligentem luxu- l. 7. Val.
rioſamq; inuiſus: Q. Fabius Max: quæ adoleſcen- li.6. c.9.
te nihil magis infame: L. Sylla vſq; ad quæſturo Sall. Bel.

 ſuæ Iug.

ſuę comitia, vitã libidine, vino, ludicræ artis amore inquinatam perducens: Ipſe deniq; Criſpus Saluſtius

Volaterranus.

fœdiſsimis voluptatibus ſeruiens, adeo etiam, vt deprehenſus in adulterio, ab Annio Milone, & loris bene cæſus, dimiſſus ſit. Hi igitur (at qui viri?) Hi, inquam, à Philolache ſe reprehenſos exiſtiment, At hi ne ſoli eiuſmodi? Audite Ciceronem auditores:

Pro M. Coel.

Equidem, ait, multos & vidi in hac ciuitate & audiui, non modo qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ & extremulis, vt dicitur, digitis attigiſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam, vt dicitur, recepiſſe, grauesq; homines & illuſtres fuiſſe. Et porro: Multi & noſtra & patrum maiorumq; memoria ſummi homines & clariſsimi ciues fuerunt quorum cum adoleſcentiæ cupiditates deſerbuiſſent, eximiæ virtutes firmatâ iam ætate, extiterunt, ex quibus neminem mihi neceſſe eſt nominare. Quod ſi facere vellem, multi à me ſummi atq; ornatiſsimi viri prædicarentur, quorum partim nimia libertas in adoleſcentia, partim profuſa luxuries, magnitudo æris alieni, ſumptus, libidines nominarentur: Quæ multis poſtea virtutibus obtecta, adoleſcentiæ qui vellet excuſatione defenderet. Hæc Cicero de ſuâ & maiorum ſuorum ætate. Quod ſi nobis quoq; liceret, vel ſaltem liberet, aliquid de eorum adoleſcentia dicere, qui iam clariſsimis ſuis virtutibus, omnia adoleſcentiæ errata obumbrarunt, ingentia profectò facinora audiretis, & volentes nolẽtes fateremini, non eſſe hæc adoleſceũnt ſed adoleſcẽtiæ vitia, nec noſtris magis, quam omnibus omnium ætatum iuuenibus obijci poſſe. Cum enim adole-

ſcentum animi molles & ætate fluxi dolis haud diffi-
culter capiantur; Voluptas autem, quam diuinitus Sal. in Bel. cat.
eſcam malorum appellat Plato, quod ea capiantur
homines vt hamo piſces, haut difficile ſuis illecebris Cic. in Cat.
incautos adoleſcentes ad ſe alliciat: Quid mirum,
ſi ſub blandiſsima illa domina, in eo regno, in quo o-
mnino virtus conſiſtere non poteſt, vitijs aliquandiu Ibid.
ſuccumbant, præſertim cum ægide Palladis, & gladio Onid. 4. Met.
Mercurij (hoc eſt prudentia) quo Gorgonas (.i. vo-
lupttes) interficiant propter ætatem adhuc ſint deſti-
tuti? Vnde & veriſsimè Scipio Maſaniſſe dixit, non Liu. D. 3. l. 10.
eſſe iuuenili ætati tantum ab hoſtibus armatis peri-
culi, quantum ab circumfuſis vndiq; voluptatibus.
Multa enim nobis blandimenta (ait Cicero) natura Cic. pro Cœlio.
ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniueret: Et in-
terdum multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit,
quibus illa inſiſtere aut ingredi ſine caſu aliquo aut
prolapſione vix poſſet: Et multarum rerum iucun-
diſsimarum varietatem dedit, qua non modo hæc æ-
tas, ſed etiam corroborata caperetur. Quamobrem
ſi quem fortè inueneritis, qui aſpernetur oculis pul-
chritudinem rerum, non odore vllo, non tactu non
ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuauita-
tem: Huic homini ego fortaſſe & pauci Deum pro-
pitium, pleriq; autem iratum putabunt. Ergo hæc
deſerta via & inculta atq; intercluſa iam frondi-
bus & virgultis relinquatur: Detur aliquid æta-
ti: Sit adoleſcentia liberior: Non omnia volupta-
tibus denegentur: Non ſemper ſuperet vera illa &
directa ratio: Vincat aliquando cupiditas voluptaſq;

 ratio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

rationem, dummodo aliqua in hoc genere præſcriptio moderatioq; teneatur. Dummodo ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, Reip. reuocet, vt ea, quæ ratione antea non perſpexerat, ſatietate abieciſſe, experiendo contempſiſſe videatur. Et ob hanc peregrinationem in voluptatis regno, Horatius dicit, quod iuuenis ſit Cæreus in vitium flecti, & ſubijcit; monitoribus aſper. Socratem ſolitum aiunt dicere, perfectum ſibi opus eſſe, ſi quis ſatis eſſet concitatus cohortatione ſua ad ſtudium cognoſcendę percipiendæq; virtutis: Quibus enim id perſuaſum eſſet, vt nihil mallent ſe eſſe, quam bonos, ijs reliquam facilem eſſe doctrinam. Quod ſi Socrati difficile fuit perſuadere, viro tanta morum integritate, vt Plato & Ariſtoteles & omnis in diuerſum itura ſapientum turba, plus ex morib. eiusquam ex verbis traherent; Quid ni illis cohortatoribus arduum ſit adoleſcentem mouere, cum quorum vita mirabiliter pugnat oratio? Nam cum nihil minus ferendum ſit, quam rationem ab altero vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere; Quis miretur ſi adoleſcentes ijs monitoribus aſperi ſint, qui nihil non eorum quæ obijciunt, ipſi perpetrauerint? Sed vt hæc mittam: vt concedam multos ab ijs vitijs ſe abſtinuiſſe, in quibus alios repræhendendunt, an noſtri ſeculi iuuenes ſoli ſunt monitoribus aſperi? Certe vel de omnibus vel de ſuis hæc pronunciauit Horatius. Si de omnibus; cur commune vitium noſtrę iuuentuti ſoli obijcitur? Cur noſtri juuenes ob ea vitia degeneres vocantur, quibus non magis ipſi quam maiores illorum fuerunt infecti

Cic. 1. de Ora.

Sen. l. 1. Ep. 6.

Cic. 2. Th. Q.

Cic. 1. in Ver.

Cic. in Ver.

*infecti? Si de ſuis autem; Quid ad noſtram hæc ju-
uentutum pertinent? Semper juuenes, ſemper fue-
runt monitorib. aſperi. Quod ſi exemplis reſindiget:
Quam ægro animo, quam inuitis auribus patris ad-* In Hea
monitionem audiuit Clitipho *ille* Terentianus*? Quid?* Curt.
Nonne Hercules *cum inconcinnius & ruſticius Cy-
tharâ ludens, à* Lino *obiurgaretur, indignabundus
ipſi plectrum letiferum impegit?* Nonne Alexander Tacit.
Calliſthenem, *ipſius ſuperbiam taxantem, truncatis* Ann.
membris, abſiſſiſq; auribus, labijs ac naſo deforma- Suet.
tum, poſt varia tormentorum genera è medio ſuſtu- in Ne.
lit? Nonne Nero *vera dicentem* Senecam *audire no-
lens, ad necem compulit? Quid Lydus ille Plautinus
queritur.*

Nunc (inquit) priusquam ſeptuennis eſt, ſi attin- In
(gas cum manu Bacch.
Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.
Cum patrem adis poſtulatũ, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, dum te poteris defenſare iniuriâ.
Prouocatur pædagogus, eho ſenex minimi precij,
Ne attingas puerum iſtâ cauſſâ, quando; fecit
(ſtrenuè.
It magiſter quaſi lucerna vncto expretus linteo.
Itur illinc iure dicto, iſthoccine hîc pacto poteſt
Inhibere imperium magiſter, ſi ipſus primus va-
(pulet?

*En, auditores, vt ſemper eadem vitia commiſſa, ob
quę jam degeneraſſe homines querimur! En vt ſem-
per monitoribus aſperi fuerunt adoleſcentes! Sequi-
tur in Horatio.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Vtilium tardus prouiſor prodigus æris.

Et hoc non minus antiquis competit, quam noſtris. Nam vt mittam eos, quos Cicero dicit, patrimonia effudiſſe, inconſultè largiendo; Nonne iuuenes Romani adeo luxu atq; auaritia corrupti fuere, vt merito dicatur, genitos eſſe qui neq; ipſi habere poſſent res familiares neq; alios pati? Quid Alexander M. Nonne pręclare in epiſtola quadam ipſum Philippus accuſat, quod largitione beneuolentiam Macedonum ſectetur? Quid te (malum) inquit rationis in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi fideles putares fore, quos pecuniâ corrupiſſes? An tu id agis, vt Macedones non te regem ſuum ſed miniſtrum & præbitorem putent? Quo quid regi ſordidius? Quid Cæſarem ad bellum ciuile concitauit, niſi æris alieni, quod profuſiſſima largitione contraxerat, ſoluendi neceſſitas. Quanta Caligulæ prodigalitas, qua immenſas opes, totumq; illud Tiberij Cæſaris vicies ac ſepties millies LLS. non toto vertente anno abſumpſiſſet? Quanta Neronis, diuitiarum & pecuniæ fructum non alium putantis quam profuſionem? Sordidos & deparcos eſſe, quibus ratio impenſarum conſtaret: Prælautos verèq; magnificos, qui abuterentur, ac perderent. Laudabat mirabaturq; auunculum Caium nullo magis nomine, quam quod ingentes à Tiberio relictas opes in breui ſpatio prodegiſſet. Quare nec largiendi nec abſumendi modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur Octoginta numûm millia diurna erogauit, abeuntiq; ſuper LLS millies contulit. Menecratem Cytarœdum & Spicillum mirmillonem triumpha-

2.Off. Sall. 1. His. Cic. 2. off. Suet. in Cæſ c. 13. Suet. in. Calig. c.

umpha-

umphalium virorum patrimonijs ædibusq; donauit. Cercopithecum Panerotem fœneratorem & vrbanis ruſticisq; prædijs locupletatum, prope regio extulit funere. Quid de hoc aliud dicemus, auditores, quam quod de Othone imperatore Piſo. Falluntur quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. Perdere iſte ſciuit, donare neſciuit. Idem igitur ipſi accidit, quod Vitellio, qui dum amicitias magnitudine numerum non conſtantia morum contineri putat, meruit magis quam habuit. Quare recte largitionem Philippus Macedo corruptelam dixit eſſe, quippe quę deteriorem facit accipientem, atq; ad idem ſemper expectandum paratiorem. Cæterum non iuuentus Romana, non Alexander, non Cæſar, non Caligula, non Nero, non Otho, non Vitellius, tantum hoc vitio laborarunt, ſed omnes ferè iuuenes, quibus argentum citius (vt Plauti verbis vtar) confit, quam ſi tu obijcias formicis papauerem. Id quod pulcrè depingitur ſub perſona Lesbonici, qui ſerò atq; ſtultè prius quod cautum oportuit, poſtquam comedit rem, poſt rationem putat. Quam ob cauſam & Megaronides Calliclem obiurgat, quod adoleſcenti argentum dederat. Dediſtine (inquit) hoc pacto ei gladium, qui ſe occideret? Quid ſecus eſt, aut quid intereſt dare te in manus argentum amanti homini adoleſcenti, animi impoti, qui exædificaret ſuam inchoatam ignauiam. Et ſic monſtrauimus omnes adoleſcentes, vel certè omnibus ætatibus plerosq; vtilium tardos prouiſores & prodigos æris, ſeu vt Ariſtoteles vocat ἀσώτους vocabulo magis ſignificante.

Tacit. 1. Hiſt.

3. Hiſt.

2. Off.

In Trinum.

Ibid.

4. Eth.

 Sed

Ver. 10. Æn. Sen. 2. de Ben. c. 26. Catull. car. 22.

Sed pergentem audiamus Horatium: Sublimis, hoc eſt, ſuperbus, φίλαυτος, cœlum (quod dicitur) animo ferens, magna ſpirans, inflatus etc. Quamuis verò inſitum illud mortalitati vitium, ſe ſuaq; mirandi, omnibus ferè ſit commune, nec quiſquam ſit, quem non in aliqua re videre Suffenum (.i. ſua mirantem) poſſis: Tamen maxime id in adoleſcentibus apparet; ſicut eleganter in fabula Icari expreſſit Ouidius.

3. Triſt. El. 4.

Quid fuit vt tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immenſas nomine ſignet aquas?
Nempe quod hic altè, demiſſius ille volabat,
Nam pennas ambo non habuere ſuas.

Ibid.

Item in Phaëthontis, æthera mente capientis, de quo ait:

Non natum in flammâ vidiſſet, in arbore natas
Cepiſſet genitor ſi Phaëthonta Merops.

3. Meta.

Quæ vero arrogantium adoleſcentum ſit natura prudenter in Narciſſo depinxit. Significat enim Narciſſus nihil aliud, quam hominem ſibi vehementer placentem ac ſupra modum ſui amantem. Hunc Echo deperit, hoc eſt, Iactantia φιλαυτίαν Sed illa ſpreta mutatur in ſonum .i. in rem inanem. Vnde Nemeſis arrogantiæ vindex pœnas fingitur repetere à Narciſſo, ſe ita amante, vt ſuam ipſius vmbrā admiretur. Diuinitus enim puniuntur φίλαυτοι hac dementia, vt etiam inſcitiam ſuam eſſe ſapientiam arbitrentur. Hinc grauiter Vitus Winshemius in declamatione quadam inquit: Narciſſus in fabulis poëtarum dum nimium ſe amat, contabeſcit, pe-

Sabian.

ritq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

ritiq; & ipſe & illa falſa imago, quam tantopere deperibat. Et nunc mutatus in florem monet nos ſero floreſcens, ne nimis mature & ante tempus ſapere incipiamus, neue nos aut noſtra nimis amemus atq; admiremur. Cæterum ex his & ſimilibus imaginibus, quas veteres ſapientes excogitarunt, ſatis liquet, vetus eſſe hoc vitium, & non magis nunc quam olim in adoleſcentibus frequens, id quod exemplo Catilinæ, cuius vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat: Hieronymi Siracuſij ſuâ ſuperbia coniurationes in ſe excitantis; Domitiani Dominum Deum ſe appellare jubentis; & aliorum illuſtrari poſſet: verum cum Cicero dicat, hunc ardorem mentis ad gloriam, in adoleſcentia tanquam in herbis ſignificare quæ virtutis maturitas & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ, non amplius hoc vitium exagitabimus. Sequitur igitur in Horatio Cupidusq;. Hoc quoq; attributum tam viris quam juuenibus conuenit, niſi quod cupiditates vehementiores ſint, & magis ſe exerant in juuentute. Id quod videre eſt ex Medea, quæ licet agnoſceret ſuum morbum: Tamen tanto cupiditatum ſeu malarum inclinationum ardore fuit accenſa, vt ipſa ſe temperare non poſſet. Quare etiam inquit:

Sall. Bel. Catal.

Liu. D. 3. l. 4.

Suet. in Domit. c. 13.

Ouid. 7. Met.

Excute virgineo conceptas pectore flammas
Si potes, infœlix: Si poſſem ſanior eſſem.
Sed trahit inuitam noua vis, aliudq; cupido
Mens aliud ſuadet. Viideo meliora proboq;
Deteriora ſequor. *Graues enim ſunt dominæ cogitationū libidines, infinita quædam cogentes atq; imperantes:*

Cic. in fragm.

rantes: Quæ quia expleri non poſſunt: Ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris ſuis accenduntur. Merito igitur Pamphilus de ſequeritans in hæc prorumpit:

n
Eunuch.

Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens.
Viuus vidensq́ pereo, nec quid agam ſcio.

Et Ouidius inquit:

b.2.
m.El.
4.

Confiteor ſi quid prodeſt delicta fateri,
In mea nunc demens crimina faſſus eo.
Odi, nec poſſum cupiens non eſſe quod odi,
Heu quam quod ſtudeas ponere ferre graue eſt.
Nam deſunt vires in me mihi, iusq́ regendum:
Auferor vt rapidâ concita puppis aqua.

Sed his macipiorum inſtar vſi ſunt Cupidines, quippe quos volentes nolentes ad res turpes perpetrandas compulerunt. Biblida vero volentem etiam, & ſcelus ſuum ſtulta & affectata ignorantia obumbare conantem, traxerunt. Sic enim inquit:

uid. 9.
Met.

Iura ſenes norint, & quid liceatq́ nefasq́
Fasq́ ſit inquirant, legumq́ examina ſeruent.
Quid liceat neſcimus adhuc, & cuncta licere
Credimus, & ſequimur magnorum exempla (Deorum.

Hæc igitur voluit. Sed quis eſt cui velle non liceat? At ego (ait Cicero) hoc ipſum velle miſerius eſſe duco, quam in crucem tolli: vna res eſt ea miſerior adipiſci, quod ita Volueris. Cæterum cum cupiditates ſint inſatiabiles, quæ non modo ſingulos homines (vt antea diximus) ſed vniuerſas familias euertant, totam etiam labefactent ſæpe Remp; inueniuntur qui

ic. ad
tt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

tur qui volunt Horatium tantum intelligere per vocabulum Cupidusq; temerarium & inconſideratum juuenum deſiderium, hoc eſt libidinem eius rei quæ nondum adſit, videndi, vel rei, qua deſtituimur, impetrandæ etc. Sed vt vt hæc ſeſe habeant, parum in præſentia laboramus; dummodo inficias nemo eat omnibus juuenibus non hoc tantum ſed omnibus ſeculis cupiditatem adhæſiſſe. Nam cum effrenata illa cupiditate veteres etiam laboraſſe, exemplis Pamphili, Ouidij, Biblidis etc. obtinuerimus, quis ab eo, quod minus eſt, & altercatione vix dignum, veteres vindicabit. Reſtat vltimum de iuuenibus in Horatio: Et amata relinquere pernix. Ea enim perturbatio eſt omnium rerum, vt ſuæ quemq; fortunæ maximè pœniteat, nemoq; ſit, quin vbiuis, quam ibi, vbi eſt, eſſe malit. Nam cũ communi vitio fiat naturæ, vt inuiſis, latitantibis, atq; incognitis rebus magis confidamus, vehementiusq; exterreamur, fit, vt præſentia ſæpe futuris poſtponamus. Hinc Cic.4. Th. Q. Cic.ad Torqua Cæſ. 2. Bel. C

Optat ephippia bos, piger optat arare caballus
Et. Agricolam laudat juris legumq; peritus
Sub galli cantum conſultor vbi hoſtia pulſat.
Ille datis vadibus qui jure extractus in vrbem eſt
Solos fœlices viuentes clamat in vrbe.
Stultus vterq; locum immeritum cauſatur iniquè
In culpa eſt animus qui ſe non effugit vnquam.

Hor.1. Ep. 14 1. Serm Sat.1. 1.Ep. 1

Verum cum non intelligamus homines noſtra bona, priuſquam quæ in poteſtate noſtra fuerunt, ea amiſimus: Accidere nobis ſolet, quod plerumq; hominibus nimia pertinacia atq; arrogantia, accidere ſoleat, vt Cæſ.1. Bel. Ci\

at, vt eo recurrat, & id cupidiſsimè petant quod pau-
Cic. ad lo ante contempſerint. Vt enim bona valetudo iu-
Quit. cundior eſt eis qui è graui morbo recreati ſunt, quam
qui nunquam ægro corpore fuerunt: Sic omnia deſi-
derata magis quam aſsiduè percepta delectant. Sed
Liu. D. 3 facile eſt momento, quo quis velit, cedere poſſeſsione
l. 4. magnę fortunæ: Facere atq; parare eam difficile atq;
arduum eſt. Id quod Perſeus bellum non neceſſarium
D. 4. l. 10 mouens contra Romanos: Carthaginenſes pacem
D. 3. l. 1. ſpernentes, quam habebant: Hieronymus ſocieta-
D. 3. l. 3. tem, quæ ipſi erat cum Romanis, violans: Syphax
D. 3. l. 10. Carthaginienſibus ſe adiungens: Cræſus contra
Herod. Cyrum expeditionem ſuſcipiens, & alij quam pluri-
l. 1. mi magno ſuo malo ſunt experti. De Campanis hæc
D. 3 l. 3. ſcribit Liuius; cum ſenatum ſuum interfectum vel-
lent occaſionem vero facinoris perpetrandi nullam
inuenirent; Pacuuius Calauius, concluſis in curia,
qua ſenatores cuſtodiebat, ianuis, poteſtatem plebi a-
nimi ſui indulgendi fecit ea conditione, vt ſingulis
citatis, de quorum capite conſulerentur, prius in eius
locum, virum fortem ac ſtrenuum, nouum ſenatorem
cooptarent, quam de noxio ſupplicium ſumeretur.
Inde conſedit, & nominibus in vrnam coniectis, ci-
tari quod primum ſorte nomen excidit, ipſumq; è
curia produci iuſsit. Vbi auditum eſt nomen malum
& improbum pro ſe quiſq; clamare, & ſupplicio di-
gnum. Tum Pacuuius: video quæ ſententia de hoc
ſit data: Eijcitur pro malo atq; improbo, bonum ſe-
natorem & iuſtum eligite. Primo ſilentium erat,
inopia potioris ſubij ciundi. Deinde cum aliquis o-
miſſa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

miſſa verecundia quempiam nominaſſet, multo maior extemplo Clamor oriebatur: Cum alij negarent noſſe, alij nunc probra, nunc humilitatem ſordidamq; inopiam, & pudendę artis aut quæſtus genus obijcerent: Hoc multo magis in ſecundo ac tertio ſenatore eſt factum, vt ipſius pœnitere homines appareret: Quem autem ſubſtituerent in ipſius locum, deeſſe. Quia nec eoſdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos: Et multo humiliores obſcurioresq; cæteris erant eis, qui primi memoriæ occurrebant. Ita dilabi homines, notiſſimum quodq; malum maximè tolerabile dicentetes eſſe, iubentesq; ſenatum ex cuſtodiâ dimitti. Quorum exemplum vtinam multi imitarentur: Sed viris hoc & ſenibus propter longum multarum rerum vſum facilius; iuuenibus autem, qui rerum adhuc ſunt imperiti difficilius eſt. Vnde etiam euenit, vt, quia multa inconſideratè appetunt, perniciores ſint, iuxta Horatium, in amata relinquendo. Et hactenus moſtratum eſt pueritiam & iuuentutem noſtri ſeculi nihil antiqua eſſe deteriorem: Reſtat adhuc virilis & ſenilis ætas à calumnijs vituperatorum noſtræ ætatis, vindicanda. De viris, inquit Horatius:

Conuerſis ſtudijs ætas animusq; virilis
Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori,
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.

Quibus huic ætati, vt minus per ſe vitijs obnoxiæ, nihil ferè obijcit. Quare & nos hanc miſſam facientes ad vltimam transgredimur, de qua idem Horatius:

Multa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Multa ſenem circum veniunt incommoda: vel, (quod
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti.
Dilator, ſpe longus, iners, auidusq; futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor caſtigatorq; minorum.

Tribuit hic Horatius *ſenectuti, auaritiam, tenacitatem, cunctationem, longæuitatis deſiderium, inertiam, curioſitatem, moroſitatem, iniquã de ſuo ſeculo cenſuram etc.* Multa quidem de his vitijs pro defenſione noſtrorum ſenum ex vetuſtate colligi poſſent, ex quibus pateret, non noſtris tantùm hæc vitia competere: Sed vereor ne malam gratiam apud ſenes ineam, quippe qui proculdubio ſua vitia malunt diſsimulari, quam defendendo agitari. Cum autem fruſtra laborare, & nihil ſe fatigando niſi odium quærere extremæ ſit dementiæ, libenter hoc labore ſuper ſedeo, præſertim cum ſine cauſæ noſtræ id fieri poſſe periculo perſpectum habeam. Nam auaritiam & tenacitatem quod attinet, licet hæc Ariſtoteles quoq;, vbi de liberalitate & eius extremis agit, ſenibus tribuat, & Mitio ipſe fateatur ſenectutem id vitium hominibus afferre, vt attentiores ſint ad rem omnes, quam ſat eſt: Tamen cum Cicero, morum hæc non ſenectutis vitia eſſe contendat, libenter in eo acquieſcimus. Cunctationem vero quam ſenibus aſſcribunt, prudentiam rectius appellari exemplum Camilli & Fa. Maximi clarum facit Quod porro ſpe longi ſunt ſenes, quis eſt qui reprehendet, cum omnibus viuendi cupiditas ſit naturalis?

Saluſt.

4. Eth. c. 1.

In Adel.

In Cat. Ma.

Liu. D. 1. l. 6.

D. 3. l. 2.

Nec inertiam quis in ſenibus merito culpabit, quippe quam ſenectus, quæ ipſa eſt morbus, affert, omnesq; cum Plautino illo ſene dicere cogit: Pernicitas deſerit, conſitus ſum ſenectute, onuſtum gero corpus, vires reliquere. Quod deniq; multi difficiles ſint atq; moroſi, id moribus non ſenectuti Cicero cenſet adſcribendum. De cenſura autem ſenum iniqua ſupra dictum eſt. Quapropter omiſſa ſenum antiquorum cum noſtris collatione, partem hanc orationis, qua ætatis cuiusq; mores, apud nos & veteres eosdem fuiſſe, demonſtratum eſt, concludimus; ita tamen vt de ijs, quæ poſſunt hic videri omiſſa, commodius in proximâ orationis parte ſimus dicturi.

Ter. in Phor.

In Menæch.

Reſtat nunc, auditores humaniſsimi, vt poſt ætatum conſiderationem, vitæ quoq; genera, ſeu gradus & dignitates, quibus inter ſe homines diſtant examinemus. Sicut autem res omnes, de quibus agitur, aut ſacrę ſunt aut profanæ; Sic homines alij verſantur circa res Diuinas, alij in negotijs humanis ſunt occupati. Hos partim politicos partim Oeconomicos vocamus; Illos vero late vocabulo ſumpto vel Sacerdotes vel ſocrorum interpretes & miniſtros. Horum rurſus alij in Eccleſia, alij extra veram Eccleſiam ſacris præfuerunt. Qui in Eccleſia Dei verbi Diuini ſemina ſparſerunt, alij veri fuere paſtores, alij mercenarij. Si iam vtrosq; cum vtrisq; in veteri & nouo Teſtamento conferamus; Negare equidem nemo poteſt, magnos viros & inſignia Dei organa Patriarchas & Prophetas fuiſſe: Sed concedatur & hoc neceſſum eſt, non minori ſpiritu Diuos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Apoſtolos, Martyres & Patres in doctrinæ celeſtis propagatione vſos. Imo ſi ad noſtra propius ſecula accedamus, quis virum illum ſummum Iohannem Huß doctoribus antiquis poſtponet? Quis ingentes illos viros Lutherum & Philippum (vt nihil de alijs dicam, qui tunc & qui adhuc Eccleſiæ Dei, non minori fructu quam laude operam ſuam indefeſſam hic & alibi nauant & nauarunt,) quis, inquam, Lutherum & eius paraſtatam ſine ſumma ingratitudinis erga Deum & viros illos notâ, non præclara organa, quibus Deus in repurgatione ſeminis cæleſtis vſus, agnoſcet? Quis ſanctiſſimos illos noſtri temporis Martyres, Iohannem & Henricum Bruxellanos iuuenes, qui propter conſtantem confeſſionem ad ignem condemnati, tantam præ ſe tulerunt conſtantiam, vt ad rogum adducti, articulos fidei magno animo confiterentur, alternisq; hymnum, cuius initium TE DEVM LAVDAMVS, *decantarent, hoſtiumq; ſæuitiam adeo deſpicerent, vt alter ex ipſis, cum rogus incenderetur, diceret, ſibi videri ſe roſis aſpergi; quis, inquam, hos in numerum optimorum paſtorum, qui vitam relinqunt pro ouibus, non numearret? Quis Henricũ Sudphen crudeliſſimè ob Euangelicæ doctrinæ propagationem à Ditmarſis trucidatum & combuſtum, boni paſtoris nomine defraudabit? Quis omnes illos martyres, quos magno numero Ludouicus Rabus ob incredibilem pietatem & miram in Deo celebrando conſtantiam igne alijsq; ſupplicijs cruciatos & necatos eſſe prolixe commemorat, præclara noſtri ſeculi ornamenta fuiſſe*

Chytreus in Saxon. lib. 6.

Idem.

fuiſſe, vel diſsimulare ſaltem audebit? Taceo iam illos, qui in Hiſpania, taceo qui in Gallia, taceo qui in Anglia multis tormentis dilacerati Euangelij veritatem abijcere noluerunt. Taceo optimos illos Belgas, qui tot iam annos bella ob puritatem doctrinæ cæleſtis gerentes, multas ærumnas ſubierunt, multa pericula ſuſtinuerunt, multa in exilio mala tolerarunt. Quod vero clamitant, multos eſſe hoc ſeculo miniſtros Euangelij, quibus nihil minus quam veri paſtoris nomen competit, id nos adeo non negamus, vt etiam vltro magnam multitudinem mercenariorum illorum eſſe, qui ob ignauiam, auaritiam, ambitionem, ouiculas ſuas non diligenter paſcunt, lanam potius ouium, quam ſalutem illarũ ſpectant, & vt ſibi gloriam captent, in varios errores, ſuos greges inducunt, & fateamur & deploremus. Verum ὀυδὲν πρὸς ἔπος. Quando enim, etiamſi omnia à condito mundo ſecula euoluamus & perluſtremus, quando fuit illud tempus, quo non plus mercenariorum fuit, quam bo-
norum paſtorum? Quando non fuerunt in Sacerdo- Hier. 27.
tibus ſpeculatores cæci, canes muti? Quando non fue- Hier. 5.
runt inter eos Vulpes, lipitores parietis, architecti Ezehc. 33
puluillorum & ceruicalium? Quando non fuerunt Eſa. 56.
paſtores gregẽ non paſcẽtes aut diſpergentes? Quan- Mal. 2.
do non ebrioſi ſacerdotes fuerunt? Quando non malo Matt. 13.
exemplo alijs preeuntet? Quando non bonis triticum ſeminantib., mali zizaniã aſperſerunt? Nec me nunc auditores operę prętium facturũ arbitror, ſi exempla multa ad hoc probandũ adducam, cum omnibus, qui in ſacris vel parum tantum ſunt verſati, nuſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

quam non ſint obuia. Sed hactenus de doctoribus in Eccleſia; dicendum nunc eſſet de ijs, qui extra Eccleſiã religioſos ſe perhiberi volũt, ſi non reprehenſionem quorundam meritã me incurſurum vererer. Satius igitur duco gentilitiæ religionis (quamuis quæ illa relligio & non idololatria potius?) laudatoribus reſpondere, non Ethnicorum ſacrorum cultores Deo ſeruiuiſſe, ſed potius Diabulo. Quod ſi quis locomatiuam illorum ſeu externorum membrorum gubernationem commendandam putat, eum ad conſiderationem ſacerdotum, qui Delphis Æſopum crudeliter interfecerunt, & eorum, qui Romæ Bacchi ſacra colentes, infanda ſcelera perpetrarunt, delegamus. hæc breuiter de hoc hominum genere, nihil antiquis deteriore dicta ſufficiant: De hinc ad maioris & difficilioris probationis collationem vocamur. Nam magiſtratus antiquos & nouos æquaturo obijciuntur Cyrus, Alexander M. Romulus, Camillus, F. Maximus, P. Scipio, Iul. Cæſar Auguſtus & alij præſtantiſſimi heroes, quorum ſimiles hoc ſeculo dari poſſe, vix aduerſarij ſibi perſuaderi patiuntur. Non ſum, auditores, qui detrectatum aliquid ſummorum horum virorum laudibus velim. Cæterum cum ita fauere aliorum gloriæ debeamus vt non noſtra iontumelia ſplendeat, veniam mihi dabitis, ſi aſperius nonnihil eos tractauero. Quamuis gratiam me potius apud hos viros initurum, quam odium hac ratione inuenturum ſit veriſimile. Cum enim gloria ſit ſolida quædam res, & expreſſa non adumbrata. Ea vero ſit conſentiens laus bonorum,

Camerarius in uitâ Æſopi. Liu. D. 4. l. 9.

Decius apud Liu. D. l. 10. Cic. 3. Th. Q.

incor-

incorrupta vox bene judicantium de virtute excellente; non conſentaneum eſt, eos aſſentatiunculas ſcriptorum quorundam tam probaſſe quam toleraſſe, tam captaſſe, quam nonreieciſſe. Nec eſt, quod mihi dicant, Quemq; quæ ſibi facilia factu putat æquo animo accipere; ſupra veluti ficta pro falſis ducere, cum re & teſtimonijs probare poßim, multa veterum gloriæ illuſtrandæ, partim adulatione, partim ſtudio excitandæ virtutis, partim metu, partim etiam ignorantia, quæ à veritate eſſent aliena, attributa fuiſſe. Cum enim plurimos, (vt eleganter inquit Iſocrates) experiamur ὥσπερ τῶν σιτίων τοῖς ἡδίστοις μᾶλλον, ἢ τοῖς ὑγιεινοτάτοις χαίροντας: οὕτω καὶ τῶν φίλων τοῖς συνεξαμαρτάνουσι πλησιάζοντας, ἀλλ' οὐ τοῖς νουθετοῦσι; & (quemadmodum Cicero) virtute ipſa non tam multos preditos eſſe, quam videri volunt, hosq; fictus ad illorum voluntatem ſermo cum ipſis adhibetur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putare; accidit contra quod Horatius affirmat.

Sallus Bel. ca

Ad Demon.

Læd Inlib·

1. Ep. 18.

Alter in obſequium plus æquo pronus, & imi
Deriſor lecti, ſic nutum diuitis horret
Vt puerum ſæuo credas dictata Magiſtro
Reddere, vèl partes Mimum tractare ſecundas.

Miretur nunc aliquis multa falſa nobis pro veris obtrudi, cum & principes adulantium vocibus delectentur, eas admirentur, eas præmijs inuitent; & hi nihil niſi placentia; niſi profutura niſi laborem compenſatura ſcribere animum inducant. Nec de maiorum gentium hiſtoricis hæc dici quis arbitretur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

De ijs loquor, quos ipſi duces ſuarum rerum cele-
brandarum gratia in prouincias duxerunt, aut domi
ad ſe poſteritati commendandos præmijs allexerunt.
Cic. pro Archia. 1.Th. Q. *Quam multos ſcriptores rerum ſuarum magnus ille*
Alexander ſecum habuiſſe dicitur? Quam multos
Romani duces? Nonne Mar. Nobilior conſul in Æto-
liam duxit Ennium. Nonne Pompeius L. Octacili-
Suet. de cl. Orat. *um? Pelitus libertum ſuum paternarum & ſuarum*
rerum habuit ſcriptorem? Nonne apertè Cicero pe-
lib. 5. Fam. Ep. 12. *tit à L. Luceio, vt ornet ſe vehementius etiam, quam*
fortaſſe Luceius ſentit, amoriq; pluſculum etiam quam
concedit veritas largiatur? Et dubitamus adhuc ſepta
veritatis nonnunquam hiſtoricos transgredi? Quin
Bel. cat. *ipſum audiamus Salluſtium hiſtoricum de hiſtoricis.*
Profecto (inquit) fortuna in omni re dominatur, ea
res cunctos ex libidine magis quam ex vero celebrat
obſcuratq;. Athenienſium res geſtæ, ſicuti ego exi-
ſtimo ſatis amplæ magnificæq; fuere: verum aliquan-
to minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia
prouenere ibi magna ſcriptorum ingenia, per terra-
rum orbem Athenienſium facta pro maxumis cele-
brantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta ha-
betur, quantum verbis ea potuere extollere præclara
ingenia. Ergo vel Salluſtio judice Themiſtocles, Ci-
mon, Alcibiades & alij maiorem quam pro rerum
geſtarum magnitudine gloriam adepti. Sed & Iſo-
crates queritur eos, qui circa Troiana & antè illa
tempora vixerunt & hymnis & tragœdijs celebrari,
alios vero coætaneos ſuos, tametſi priorum excellen-
tiam ſuperaſſent, nunquam tales laudes conſequi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Nec de alijs, quos pater ille Hiſtoriæ Herodotus, &
Theopompus laudant aliud ſentiendum, præſertim Cic. 1.
cum & Cicero innumerabiles apud hos fabulas eſſe de Leg
teſtetur. Sic igitur multi vel aſſentandi libidine vel Tacit. 1
ſtudio accendendi poſteros ad virtutis æmulationem Hiſto.
falſa retulerunt. Id quod ex Xenophontis Cyro, Ver-
gilij Ænea, Homeri Vlyſſe videre eſt. Vnde & teſte
Iſocrate Athenienſium maiores Homeri artem pro- In Pane
pterea honoratam eſſe voluerunt, tum in certamini- gy.
bus Muſicis, tum in educatione puerorum, vt virtu-
tem ſuorum, qui ad Troiam pugnarant, admiran-
tes, eorundem facinorum gloriam adamarent.
Quemadmodum & Africanus Xenophontis Cirum Cic. ad
nunquam de manibus ponere ſolitus. Inuenias etiam Q. Fr. li
multos, qui cum animum integrum ad ſcribendum 1. Ep. 1
attuliſſent, metu veritatis ſemitam tenere non potue-
runt. Nam ſicut temporibus Auguſti gliſcente adu- Tacit. 1
latione à ſcribendo deterrebantur decora ingenia: Ann.
Sic Tiberij Caijq; & Cladij ac Neronis res floren-
tibus ipſis ob metum falſę ſunt compoſitæ. Quare
& Tacitus queritur ſibi narraturo vitam defuncti In vitâ
Iulij Agricolæ, venia opus eſſe. Quam non petiſſem, Agrico-
inquit, ni incurſaturus tam ſęua & infeſta virtuti- læ.
bus tempora Legimus cum Aruleno Ruſtico Pætus
Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Heluidius
laudati eſſent, capitale fuiſſe: Neq; in ipſos modo
auctores ſed in libros quoq; eorum ſæuitum, delega-
to trium viris miniſterio, vt monumenta clariſſimo-
rum ingeniorum in comitio ac foro vrerentur. Quid? Taeit. 4
Nonne Cremulus Cordus accuſatus, quod editis an- Annal.

nalibus laudatoq; M. Bruto. C. Caßium Romanorum
Ibid. vltimum dixiſſet, abſtinentia vitam finiuit? Nihil
præter ſua vitia laudari flagitioſi principes voluerũt:
Sed nec malos paßiſunt vituperari. Ob ſimilitudinẽ
enim morum aliena malefacta ſibi obiectari puta-
bant. Etiam gloria ac virtus infenſos habuit, vt a-
Tac. 1. Hiſt. nimus ex propinquo diuerſa arguens. Rara igitur
auditores rara temporum felicitas, vbi ſentire quæ
velis, & quę ſentias dicere licet. Verum enim vero,
Ouid. 11. Met. vt vt Midas aſininas aures tiara tegat: vt vt mini-
ſtri ſcrobibus vitia regis obruant: Enaſcuntur tamen
aliquando ex ipſis ſcrobibus cannæ, quæ verum pro-
dant, quæ dißimulata proferant, quæ occulta dete-
Tac. 4. Ann. gant ac manifeſtent. Suum cuiq; decus poſteritas
3. Ann. rependit. Quamuis illud in hac re mali inſit, quod
poſteris maxima quæq; ambigua ſint, dũ alij quoquo
modo audita pro compertis habent; alij vero in con-
trarium vertunt. Et gliſcit vtrumq; poſterita-
te. Hinc illæ lacrymæ, quod toties Liuius
queritur de auctorum diuerſa aſſeuerantium diſcre-
pantia Hic decem millia cæſa ſcribit; ille triginta.
Hic tot oppida eo conſule expugnata aſſeuerat; ille
ne iſtum quidem conſulem, bellum id geßiſſe con-
tendit. Hic ab hoſte per inſidias interemptum du-
cem prodit; Ille in iuſta acie cecidiſſe demonſtrat.
Hic condemnatum, alter ne accuſatum quidem tra-
dit. Hic vult in vrbe virum illum, alius in prædio
Xen. lib. mortuum & ſepultum. Et eiuſmodi diſcrepantes
1. De Pæ- opiniones vel quingentas inueneris. De cyro Xeno-
dia Cyri phon refert, quod, cum in Perſas veniſſet, in regia
dormi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

dormiens viderit meliorem quam naturam huma-
nam, dicentem : Para te ô Cyre iam enim abis ad
Deos : Et poſtea factis ſacris habitaq; ad filios ora- lib. 1.
tione placidè obdormiuerit. At Herodotus contra
recitat, cum, cum Maſſagetani exercitus vino ſom-
noq; ſepulti partem occidiſſet, partem viuam cum
Duce Tomyridis filio, cui nomen erat Spargapiſes,
cepiſſet; noluiſſe reginæ poſcenti filium remittere, &
ob hanc cauſam Tomyridem acerrima pugna Cyri
exercitum fudiſſe, ipſiusq; Cyri inter cæſorum Per-
ſarum ſtragem inuenti caput amputatum, in vtrem,
quem humano cruore compleuerat, dimiſiſſe, mor-
tuoq; inſultantem dixiſſe, σὺ μέν ἐμεῦ ζώσης τε
καὶ νικώσης ἐς μάχην, ἀπώλεσας παῖδα τὸν
ἐμόν ἑλών δόλῳ, σέ δ' ἐγώ, κατάπερ ἠπείλησα,
αἵματος κορέσω. Tu quidem meum viuentis &
in pugna victricis filium perdidiſti dolo captum : At
ego te prout interminata ſum, cruore ſaturabo. Et
hanc quidem de morte Cyri opinionem Herodotus
judicat veriſsimam, vt pote cum reliquis actis ipſius
conſentientem. Sic Appion Græcus homo, qui Gell.
πολυΐστωρ eſt appellatus, de Alexandri laudibus lib. 6. c 8
ſcribens, inter alia inſerit, Alexandrum Darij vxo- Curt.
rem facie inclyta mulierem, vetuiſſe in conſpectum lib. 3.
ſuum deduci, vt eam ne oculis quidem ſuis contiuge- Iuſt. lib
ret. Sed quid Curtius & Iuſtinus auctores fide di- 11.
gniſsimi? Nonne adſerunt Alexandrum & mulieres
cum Epheſtione ingreſſum? vereor, auditores, ve-
reor tot monumentis celebratam P. Scipionis Africa-
ni laudem, quam continentia ſua meruiſſe dicitur,
infrin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Liu.D.3. l.6

infringere: Sed qui poſſum in veri inquiſitione vera diſsimulare? Liuius prolixe commemorat quomodo capta noua Carthagine in Hiſpania, matronas hoſtium ſpectato integritatis viro tradiderit, tueriq; haut ſecus verecunde ac modeſte, quam hoſpitum coniuges ac matres iuſſerit: Quomodo virginem adeo eximia forma, vt, quocunq; incedebat, conuerteret omnium oculos, non tantum intactam reliquerit, verum etiam principi Celtiberorũ Allucio Sponſo reddiderit, nec ſaltem reddiderit, ſed & magnum auri pondus, quod ad redimendam virginem parentes attulerant tollere & ſibi habere ſponſum iuſſerit. At Valerius Antias aduerſus hunc & cęteros omnes ſcriptores de Scipionis moribus longè aliter ſenſit. Adeo enim non redditam ait captiuam puellam ſponſo, vt etiam ipſe ſibi retinuerit, atq; in delicijs amoribusq; vſurpauerit. Huic adſtipulantur anteactæ Scipioni adoleſcentiæ mores, de quibus Cn. Næuius poëta:

Etiam qui res magnas manu ſæpe geſsit glorioſe,
Cuius facta viua nunc vigent, qui apud gentes ſolus
Præſtat, eum ſuus pater cum pallio vno ab amica (abduxit.

Quare luce meridiana (quod dicitur) clarius, auditores, multa à vero diſſona ſcriptores euulgaſſe, quorum hos aſſentandi ſtudium, illos periculi metus, alios ſcriptorum in diuerſa tendentium diſcordia, reliquos veri ignorantia hiſtoriæ leges ſeruare vetuit. Quod ſi fixum animis veſtris hæſerit, facilior in reliquis erit probatio. Sed vt vnde digreſsi ſumus, eò reuertatur oratio, pertexenda erit magiſtratuum

inter

inter ſe collatio. Iſocrates de regum & principum munere diſputans, tria præcipuè illis tribuit πόλιν τε δυςυχοῦσαν παῦσαι, καὶ καλῶς πράττουσαν διαφυλάξαι μεγάλην ἐκ μικρᾶς ποιῆσαι. *i. Ciuitatem ex calamitatib. liberare, res eius ſecundas tueri, ipſam è parua magnam efficere. Cætera enim ait, quæ quotidie incidunt, horũ cauſa facienda eſſe, & ad hæc referenda. Quare & ille apud Vergilium:* Ad Nicoc. 6. Æn.

> *Tu regere imperio populos Romane memento*
> *(Hæ tibi erunt artes) paciq; imponere morem,*
> *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos*

Oportere autem (monet Iſocrates) eos, in quibus hæc facultas eſſe debeat non ſocordiæ ſeſe dare, ſed prouidere vt ſint alij longè prudentiores δεῖ δὲ καὶ γὰρ *(inquit)* ὅτι τοιαύτας ἕξουσι τὰς βασιλείας, οἵασπερ ἂν τὰς αὐτῶν γνώμας παρασκευάσωσιν. *Conſtat enim quemadmodum ipſi animos excoluerint, ita etiam eorum regna ſe eſſe habitura. Nam ſi T. Manlius Torquatus ob oculorum hebetudinem imperium recuſans, dixerit: Impudentem & gubernatorem & imperatorem eſſe, qui cum alienis oculis ei omnia agenda ſint, poſtulet ſibi aliorum capita ac fortunas committi: Quanto rectius nos eum magiſtratum impudentem vocauerimus, qui mentis cęcitate .i. ſtultitia & ignorantia laborans, alijs dominari concupiſcit. Quapropter prima commendatio Magiſtratus proficiſcitur à prudentia & multarum optimarumq; rerum ſcientia. Perpendat mihi nunc aliquis vtrum ſeculum, noſtrumne an antiquum hoc in genere plus laudis mereatur. Afferunt* Liu. D.3.6

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

quidem antiquarij illi plura doctiſſimorum princi-
3. de orat. pum exempla, quorum partem ex Cicerone petunt,
partem aliunde, ceu ſunt ſeptem illi, qui fuiſſe di-
cuntur vno tempore, qui ſapientes & haberentur &
vocarentur. Hi omnes præter Mileſium Thalem ci-
uitatibus ſuis præfuerunt. Item Piſiſtratus, qui pri-
mus Homeri libros, confuſos antea, ſic diſpoſuiſſe di-
citur, vt nunc habemus. Pericles cuius in labris ve-
teres comici leporem habitaſſe dixerunt. Critias &
Alcibiades Socraticis diſputationibus eruditi: Dion
Siracuſius Platonis diſcipulus: Timotheus, Cononis
præſtantiſſimi Imperatoris filius, ſummus ipſe impe-
rator, homoq; doctiſſimus: Thebanus Epaminondas,
haud ſcio an ſummus vir vnus omnis Græciæ; Ageſi-
laus Xenophonteæ diſciplinæ alumnus, & Alexan-
der M. Ariſtotelææ. Nec non Euagoras qui exiſti-
Iſoc. in Euag. mabat ſi mentem probè exercuiſſet, regnum quoq;
ſuum fore præclarum: Nicocles quem ſaluberrimis
Iſoc. in Nicoc. præceptis Iſocrates erudiuit. His addunt Aſdruba-
lem generum Amilcaris, qui plura conſilio quam
Liu. D. 3. l. 1. vi gerens, conciliandis per amicitiam principum no-
uis gentibus, quam bello aut armis rem Carthagi-
nenſium auxit: Fabium qui prudenti conſilio vnus
D. 3. l. 21 homo latio cunctando reſtituit rem: Reges Perſa-
Ennius rum, quorum nemini regni habenæ committeban-
Cic 1. de Diui. n. tur, niſi ante Magorum diſciplina ſcientiaq; inſtru-
cto: Druides Gallorum, de omnibus controuerſijs
publicis priuatiſq; conſtituentes: Romanos illos Sci-
Cæs. l. 6. Bel. Gal. piones, Catones, Gracchos, Ciceronem, Cæſarem
& alios quam plurimos. Afferunt (inquam) illi
quidem

quidem hæc, & multa plura poſſent adferre exempla. Non negamus: Sed quotus horum peregrinis linguis addiſcendis (præter paucos Romanos qui Græcam cum Latina coniunxerunt) incubuit? Fuerunt illi quidem homines eruditi, at in materna tamen lingua tantum fuerunt eruditi. At noſtri principes non tantum vernaculam, ſed & Latinam, ſed & Græcam, multi etiam Gallicam, Britannicam, Hiſpanicam multo labore & ſudore addiſcunt. Nec ego iam diſputo, vtra conditio fuerit melior, illorum ne, qui ſine linguarũ iſtarum cognitione, tamen ad eruditionis culmen aſcendere potuerunt, an noſtrorum, quos longum laborem in diſcendis linguis exantlare oportet, antequam ipſas artes aggrediantur, non inquam, hæc diſputo, ſed vtra facilior, vtra honeſtior. Si illorum facilior; at noſtrorum honeſtior. Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilemq; aditum primùm ſpectantibus offert. Quid enim præclarum non idem arduum?

Vergil. vel. Anſon.

Difficile eſt (ait Ouidius) fateor, ſed tendit ad (ardua virtus
Et talis meriti gratia maior erit.

Cic. 3. Th.Q. 2. de Pon. El. 2.

Nec noſtris, ſi in aliena tantum non poßint, quantum illi in propria, fraudi eſſe debet. Non omnes (ſupra ex Seneca citauimus) ad bonum propoſitum eaſdem adferunt vires, eaſdem facultates, eandem fortunã, quæ optimorum quoq; conſiliorum duntaxat exitus temperat. Voluntas ipſa rectum petens laudanda eſt, etiamſi illam alius gradu velociori anteceßerit. Antiquis facultas & fortuna fuit commodior; at noſtris

5. de Ben. c. 2.

voluntas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

voluntas promptior. Quamuis ferè affirmauerim, vtrosq; licet indißimili fortuna ſimiles tamen feciſſe progreſſus. Quid enim quod antiquis tribui poteſt, noſtris denegatur? Nihil iam dicam de Mirandulâ, Alphonſo, Maximiliano, Carolo V. Imperatore, doctißimis principibus: Nihil dicam de Romani imperij Septemviris, variarum linguarum cognitione excellentißimis: Nihil dicam de alijs, qui optimis diſciplinis imbuti, Rebuspub. ſuis hoc tempore magnâ cum laude præſunt. Tantum juniores conſiderentur principes: Quam frequentes illi paßim in Academijs, generoſam ſuam iuuentutum optimis & pulcherrimis ſtudijs conſecrant. Quid? Nonne illuſtrißi. Holſatiæ principes D. Fridericus & D. Philippus vix duodecimũ ætatis annum egreßi, inſtitutione clariß. & doctißimi viri Antonij Caucij tantum præfecerant, vt latinam linguam callerent, Gallicam non ignorarent, Græcam addiſcerent, & quidem antequam celeberrimam Argentoratenſem & alias Academias adirent? Quid? Nonne illuſtriß. & generoſiß. principes D. Vldalricum & D. Wilhelmum hunc Curlandiæ illum Holſatiæ Ducem & Epiſcopum Suerinenſem reuerendiß. pulcerrimas noſtris auribus orationes memoriter, in magno cœtu Doctorum, Magiſtrorum & ſtudioſorum recitantes audiuimus? Sed quid de re non dubiâ multum verborum facio? Præſertim cum vel ipſa Germania hanc litem dirimere poßit. Cui enim non eſt in confeſſo, antiquitus verè barbaros principes in tota Germaniâ fuiſſe, ſi ad præſentes conferantur. Cum

igitur

igitur noſtri principes antiquis adeo non in eruditionis & prudentiæ laude cedant, vt etiam illos longo poſt ſe interuallo relinquant; ſequitur vt rationem optimè adminiſtrandæ Reipub. melius quoque teneant, & munera illa, quæ Iſocrates Magiſtratibus imponit, facilius impleant. Nam (quod primum munus eſt & difficillimum) quis πόλιν δυσυχοῦσαν παῦσαι .i. ciuitatem ex calamitatibus liberare melius poteſt, quam principes, qui multarum rerum habent cognitionem; Qui imagines, quas non ſolum ad intuendum verum etiam ad imitandum fortiſsimorum virorum, expreſſas ſcriptores & Græci & Latini reliquerunt, & in adminiſtratione Reipub. ſibi proponunt, & mentem ſuam ipſam cogitatione hominum excellentium conformant. Q. Fabius inquit, quilibet nautarum vectorumq; tranquillo mari gubernare poteſt. Vbi ſæua orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur ventis nauis: tum vero & gubernatore opus eſt. Sicut autem plerunq; turbata Reſpub. vel ab externis hoſtibus infeſtatur, vel inteſtinis motibus, ſeditionibus & diſcordijs labefactatur: Sic etiam magiſtratus aut armis ciues ex hoſtium poteſtate liberat; aut togatus Reip. motus ſedat atq; componit. In bellatore ſeu imperatore quatuor has res ineſſe oportet, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Militaris rei ſcientia maximè commendantur Philopœmen Acheorum dux, quippe qui non belli tantum temporibus, ſed etiam in pace ad id animum maximè exercuerat. Huic adiungunt Hannibalem,

Cic.P. Arch.

Liu. D.3. l.4.

Cic. pro leg.man.

Liu.D. 4.l.5.

D.3.l. 1.

D.3.l. 10

quem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

quem fere inter arma educatum (nouem enim
annorum puer in caſtra venit) peritiſſimum bollorum
vſus fecit. vnde etiam poſt tot millia Romanorum
D.4. 15. cæſa, ipſe, nouiſſimâ pugnâ victus, confeſſione etiam
Scipionis omniumq; peritorum militiæ, illam laudem
adeptus eſt ſingulari arte aciem eo die inſtruxiſſe.
Ipſe Hannibal Pyrrho laudem militaris ſcientiæ tri-
Ibid. buit. Eum enim dicebat caſtra metari primum do-
cuiſſe: Ad hoc neminem elegantius loca cepiſſe, præ-
ſidia diſpoſuiſſe etc. Virtutiis autẽ ſeu fortitudinis pal-
mam idem Hannibal interrogatus ab Africano,
quem fuiſſe maximum imperatorem crederet, Ale-
xandro M. dediſſe fertur, quod paruâ manu innu-
merabiles exercitus fudiſſet, quodq; vltimas oras,
quas viſere ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet.
D.1l.9. Sed Liuius diſputans quinam euentus Romanis re-
bus, ſi cum Alexandro foret bellatum, futurus fue-
rit, hanc palmam Alexandro ereptam Papyrio Cur-
ſori (à pedum pernicitate ſic dicto) & alijs Roma-
nis ducibus reddere videtur. Alij laudem hanc ad
Scipionem, alij ad Camillum, alij ad Cæſarem, alij
ad Pompeium transferunt. At andagoniſtæ noſtri,
cum multis hanc fortitudinis gloriam communicant:
vt cum trigeminis illis, Horatijs nimirum & Curia-
D.1.l.1. tijs, de principatu Albanorum & Romanorum cer-
tantibus; cum Coclite, cum Mutio quorum hic in ca-
ſtris Porſennæ dextram accenſo ad ſacrificium focu-
lo iniecit, ille hoſtium impetum ſolus ſuſtinuit, donec
interrupto ponte armatus in Tyberim deſiliret, mul-
D.l.17. tisq; ſuperincidentibus telis, incolumis ad ſuos trana-
ret.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

ret. Item cum T. Manlio Gallum ſternente, qui ad
ſingulare certamen ipſum vocauerat: Cum Epa-
minonda Lacedæmoniorum apud Mantineam victo-
re: Cum Aſdrubale Amilcaris genero, qui obtrun-
candus à barbaro, ob iram interfecti ab eo Domini, Sall. Bel.
cum comprehenderetur à circumſtantibus, haud alio, Catil
quam ſi euaſiſſet, vultu fuit: tormentis quoq; cum la- D.3.l.2.
ceraretur, eo fuit habitu oris, vt ſuperante lætitiâ D.3.l.2.
dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit: Cum Ca- D.4 lib.4
tilinæ exercitu, in quo omnes aduerſis vulneribus Salluſt.
ceciderunt. Deniq; cum L. Æmylio Paulo, P. Sem- Tacit. de
pronio Tuditano, Q. Næuio, M. Portio Catone, C. morib.
Mario, L. Sylla. Quin etiam cum noſtris Germanis Ger.
apud quos rara & priuata cuiusq; audentia in con-
ſenſum vertit, vt primum adoleuerint, crinem bar-
bamq; ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo, exuere vo-
tiuum obligatumq; virtuti, oris habitum. Super
ſanguinem & ſpolia reuelarunt frontem, ſeq; tum
demum precia naſcendi retuliſſe, dignosq; patria ac
parentibus putarunt. Ignauis & imbellibus manſit
ſqualor. Fortiſsimus quiſq; ferreum inſuper annu-
lum (ignominioſum id genti) velut vinculum ge-
ſtauit, donec ſe cæde hoſtis abſoluiſſet. Auctoritatis
(quod tertium in bono imperatore requiſitum) ex-
empla proponunt, totum SenatumRomanum, quem
qui ex regibus conſtare dixit, vnus (teſte Liuio) ve- D..l.19
ram ſpeciem Romani Senatus cœpit. Id quod captâ D·1.l.5.
à Gallis Româ videre fuit, vbi Gallos plebis ædificijs
obſeratis, patentibus atrijs principum, maior prope
cunctatio tenebat aperta quam clauſa inuadendi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Adeo haut ſecus quam venerabundi intuebantur in ædium veſtibulis ſedentes viros præter ornatum habitumq; humano auguſtiorem, maieſtate etiam, quam vultus grauitasq; oris præ ſe ferebat, ſimillimos Dijs. Proponunt etiam Camillum cuius tanta
D.1.l.6. fuit auctoritas, vt quocunq; ſe intuliſſet, victoriam haud dubiam traheret, adeo hoſtium animis nihil terribilius fuit quam ipſius Camilli forte oblata ſpecies. Quare & multi populi Romanis bella inferentes, vbi Camillum dictatorem declaratum intellexere, ab armis ſponte receſſerunt. Adducitur & α
α D..5.l.5. Popilius qui Regem Antiochum virga circumſcri-
β.D.3.l.4 ptum reddere reſponſum coegit, antequam circulo
γ.D.3.l.6 exiret. Item β Fabius, γ Scipio δ Martius, ε Au-
δ D.5.l.2. guſtus, ζ Deioces κ Euagoras, qui maieſtatem tue-
ε Suet. in batur non contracto ſupercilio, ſed vitæ inſtituto.
Octa. Sicut enim θ inconſtantia alijsq; vitijsq; leuatur
ζ.Hе- auctoritas; ſic virtute creſcit. Vnde & ι Cicero ad
rod.lib.1. Q. Fratrem ſcribit. *Sint hæc fundamenta dignita-*
κ Iſoc. in *tis tuę, primum integritas & continentia; Deinde*
Euag. *omnium qui tecum ſunt pudor.* Et alibi dicit: *Non*
θ Cic.4. *ſolum bellandi virtus in ſummo imperatore quæren-*
Ac.Q. *da eſt; Sed multæ ſunt artes eximiæ huius admini-*
ι.lib 1.E.1 *ſtræ comitesq; virtutis Ac primum quanta innocen-*
tia debeant eſſe imperatores! Quanta deinde omni-
Pro lege *bus in rebus temperantia! Quanta fide! Quanta fa-*
Manil. *cilitate! Quanto ingenio! Quantâ humanitate!* Referunt etiam ad hanc claſſem diſciplinam militarem, quâ creſcere putant auctoritatem. Exempla autem
D.1.l.4. addunt A. Poſthumium, qui filium, quod occaſione

bene

bene pugnandi captus, iniuſſu diſceßiſſet præſidio, victorem ſecuri percußit: T. Manlium, qui in ſimili cauſâ, ſimili ſupplicij genere filium affecit. Scipionem Africanum in Numantiæ obſidione corruptum licentiâ luxuriaq; exercitum, ad generoſißimam militię diſciplinam, omnibus deliciarum inſtrumentis reciſis, reuocantem: Metellum militaris diſciplinę ſeruantißimum, ex corrupto exercitu egregiâ diſciplinâ optimum reddentem: L. Apronium qui decimum quemq; ignominioſæ cohortis, ſorte ductum, juſte necauit. Quartum boni ducis προσκείμενον nimirum felicitatem ex prioribus exemplis conſpici volunt. Neq; enim fere quisquam ſine ſcientiâ rei militaris, virtute atq; auctoritate feliciter aliquid geßit. Vnde & Germani veteres Fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerarunt. Cæterum cum bella ſuſcipienda ſint ob eam cauſam, vt ſine iniuriâ in pace viuatur, locum hunc de fortitudine bellicâ concludunt cum moderationis & clementię, qua veteres poſt victoriam vſi ſunt, commendatione. Et rectè quidem meâ ſententiâ. Nam præterquam quod bellorum egregij fines ſint, quoties ignoſcendo tranſigitur, ipſa per ſe placabilitas & clementia res tam pulcra eſt tã iucunda, vt nihil ſit laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius. Quid enim tam laudabilequam poſſe de ſe dici:

D. 1. lg. D. 6. l. 7. Sall. Bel. Iug. Tac. 3. Ann. Tacit. de morib. Germ. Cic. 1. of. Tac. 12. Ann. Cic. 1. of. Ouid. 1. de Pont. El. 3.

Hic vincit ſemper victis vt parcere poßit:
Atq; dolet quoties cogitur eſſe ferox.

Verißimè enim: Quo quisq; eſt maior, magis eſt pla-(cabilis iræ 3. Triſt. 5.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.
Maius apud Trojam forti quid habemus Achille?
Dardanij lacrymas non tulit ille ſenis.
Quę Ducis Æmathij fuerit clementia, Pharos
Pręclariq; docent funeris exequiæ. etc.

Hæc in parte T. Quintij facilitatem erga Græciam commendant; P. Scipionis Africani erga Hiſpanos & Carthaginienſes; C. Iulij Cæſaris erga victos ciues; Titi Veſpaſiani diem ſe perdidiſſe exiſtimantis, quo nihil alicui præſtitiſſet, & aliorum, quos omnes longum eſſet enumerare. Cum igitur veteres bellicæ artis ſcientia tam fuerint celebres, fortitudine tam præſtantes, auctoritate tã venerandi, ſucceſſu tam felices, & clementiâ tam gratioſi, prorſus in hanc ſententiam adverſarij decedunt, palmam laudum illarum, quæ ex rebus bellicis petuntur ab antiquis huic ſeculo eſſe præreptam. Verum enim vero licet cauſâ noſtrates fortaſſe non caderent, ſi bellicam virtutem antiquis, quam ſine triſti & luctuoſo bello exercere non potuerunt, concedamus, dummodo nos aureâ illâ & nunquam ſatis celebratâ pace ſub noſtris laudatiſſimis principibus fruamur. Cum enim in bello nullum ſit tempus quod á nouæ ſemper cladis alicuius ſpectaculo ceſſet. Quippe quo rapiantur virgines, pueri; diuellantur liberi à parentum complexu; matres familias patiantur quæ victoribus collibuiſſent;

D.4. l. 2. D.3. l. 8. Cic. p. Marcel. Suet. in Tit. c. 8. Liu. D. 1 l. 5. Sall. Bel. Cat.

libuiſſent; fana atq; domus exſpolientur; cædes, incendia fiant; poſtremò armis, cadaueribus, cruore atq; luctu omnia compleantur. οὐδεὶς οὕτω ἀνόητός ἐστι (dicit Crœſus ad Cyrum) ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. Ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσι, ἐμ δὲ τῇ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας. Quamobrem & rectè Cicero vel iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bellò anteferendam cenſebat. Et Octauius prælium quidem aut bellum ſuſcipiendum negabat, niſi cum maior emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur. Nam minima commoda non minimo ſectantes diſcrimine, ſimiles eſſe ajebat, aureo hamo piſcantibus, cuius abrupti damnum, nullâ capturâ penſari poſſet. Vnde & Drances ille apud Vergilium exclamat:

Herod. | Cic. ad Cæcin. | Suet. in Octau. c.25.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

11. Æneid

Quapropter vt nullius metus tam gratus eſt finis, vt non gratior ſit ſolida & inconcuſſa ſecuritas: Sic nulla victoria, tam eſt præclara, tam illuſtris cui pax non ſit preferenda. Id quod vel ipſius Hannibalis, qui nihil niſi bellare didicerat, teſtimonio adſtrui poſſet. Sequitur igitur, vt principes pacem colentes & ſeruantes, bellicoſos longiſſimo poſt ſe interuallo relinquant. Veruntamen cum pugnandum ſit interdū non quia velis ſed quia hoſtis cogat, & nonunquam bella ſuſcipiantur, ob eam cauſam, vt ſine iniuriâ in pace vivatur, videndum nobis erit, an noſtri ſeculi principes plane à laude rerum bellicarum ſint alieni? An non ſicut in reliquis, ſic hac quoq; in parte cum veteribus æquari poſſint. De Achille commemoratur,

Sen. 6. de Ben. c. 26. | Liu. D. 1 l. 7. | D. 3. l. 10. | D. 4. l. 1. | Cic. 1. off. | Ouid. 13. Met.

moratur, quod cum inter filias Lycomedis virginali habitu indutus latitaret, hoc modo ad bellum Troianum ſit protractus? Vlyſſes cum audiuiſſet per exploratorem quendam, Aſium nomine Achillem ibi latere, ſumpto mercatoris habitu externi multa venalia attulit ad Lycomedis filias, maiori ex parte muliebria inſtrumenta. Inter cæteras autem merces quas expoſuit, erant pugiones & gladij quidam perornati; his allectus Achilles relictis muliebribus inſtrumentis ad hæc contemplanda & perluſtranda ſe contulit, qua ratione differre à mulieribus ingenijs ac vir eſſe imberbis inter mulieres cognitus eſt ab Vlyſſe, quamuis ſe fœminam eſſe per muliebres veſtes mentitus eſſet. Sicut nunc Achilles etiam in muliebri veſte vir bellicoſus eſt inuentus: Sic magnanimi viri, licet militares artes per otium ſint ignotæ, induſtriosq; ac ignauos pax in æquo teneat: Tamen fortem ſuum animum facile produnt, etiam in ipſa pace, cuius illuſtre proponitur exemplum in laudatiſsimo illo Holſatiæ principe (cuius memoria in benedictione) Philippo, qui licet admodum adhuc eſſet adoleſcens: Tamen tanta ſuæ magnanimitatis & fortitudinis dedit documenta, vt rectè ex hoc judicari poßit, virtutis eſſe quam ætatis curſum celeriorem. Nam, vt ex multis facinoribus vnum referam, quis non ingentem ipſius animum, quem in apri venatione monſtrauit, admiretur? Huic toties venatores inſidias ſtruxerant, toties vi armata iuxta pagum Hollingſted adorti erant; Sed nemo vnquam ſuperare potuit, niſi noſter hic Heros, qui reliquis

Tac. 12. Ann.

Cic. 5. Phil.

omni-

omnibus metu exanimatis, &, quo quisq; poterat, fugientibus, ſolus immanem aprum, impetum in ſe facientem, nullo dato pauoris ſigno ſtrauit. Et ſic etiam in tranquilla pace, fortiſſimi principes animũ, quo in bello ſunt vſuri, ſæpe mouſtrant. Quod ſi bellicas iſtas virtutes omnes quæ in Duce requiruntur, depromi ab hoc ſeculo aduerſarij volunt, multos certiſſimè, in quibus omnes illæ virtutes (ne opus ſit ſingulos ſingulis cõmendare) redundarunt, dari poterunt. Nam vt nihil de Tartaris; vt nihil de Moſcouitis, vt nihil de Turcis, vt nihil de Hiſpanis, quorum omnium peritiam in acie inſtruenda, induſtriam in militando, auctoritatem in adminiſtrando, & felicitatem in gerendo vtinam Chriſtiani nunquam experti eſſent; vt de his nihil dicam; Quis Albertũ Saxonem, omine & aſpectu terribilem, ſagacitate atq; conſilij promptitudine, ac celeritate admirabilem, fortitudine atq; vehementia in ipſo præliorum feruore intolerabilem, moderatione poſt victoriam & clementia ſalutarem, negauerit dignum fuiſſe, qui decreto publico vocaretur dextra manus imperij, & dux copiarum publicarum deſignaretur? Quis Albertum Brandenburgicum cui tributum cognomentum Achillis Germanici? Quis duos Hunniades Iohannem patrem & Matthiam filium clariſſimos imperatores? Quis Georgium Caſtriotum Scanderbeium, prę ingenti zelo ad mentionem Mahometici tyranni copioſum ſanguinem naribus & venis emittentem? Quis Carolum V. ad monomachiam Franciſcum Galliæ regem, vt in mari vel terra vel flumine,

Chytr. lib. 1. Saxo. & Andr. Hondorf.

Phil. in chron. lib. 5.

Iouius lib. 35 Hiſt.

mine, equo vel pedibus, colle vel planicie, de Galliæ
Ciſalpinæ & Burgundiæ jure ſecum decertaret, pro-
vocantem? Quis Mauritium Electorem, Philippum
Sleidanus. *Landgrauium, & huius generum Adolphum, labo-*
rioſos in negotijs, fortes in periculis, induſtrios in
agendo, celeres in conficiendo, prudentes in provi-
dendo, clementes in ignoſcendo, quis, inquam, hos
omnes & multos præterea, vt Henricum Navar-
ræum, Parmenſem, Draconem & alios veteribus
poſthabendos cenſeret, niſi iudex prorſus iniquus, &
ad nullam rem, niſi ad calumniandum homines o-
ptimè de orbe Chriſtiano meritos, idoneus? Subſi-
ſtit igitur ad huc noſtra probatio etiam in hac parte,
noſtrates principes prioribus eſſe deteriores, quæ ſi
α. Liu. D. *minus alicui propter clades nobis illatas ſatis fecerit,*
1. l. 9. *eum ad conſiderationem captæ Romæ pugnæ ad α.*
β D. 3. *FurcasCaudinas, ad β. Trebiam, ad γ. Thraſime-*
l. 1. *num, ad δ. Cannas & aliarum quæ minus feliciter*
γ D. 3. *ob temerttatem ducum, veteribus ceſſerunt, dimitti-*
l. 2. *mus. Sed hactenus de ijs qui armati ſubditos de-*
δ D. 3. l. 2 *fenderunt; Dicendum nunc de ijs, qui Togati Rem-*
1. Off. *pub. ſeruarunt, quorum hos illis Cicero cenſet*
præferendos. Et me Chriſte, ſi rem rectâ veritatis
lance ponderare, & experientiæ lydio admouere
voluerimus, non poſſumus non cum Cicerone in hoc
conſentire. Nam ſi inteſtinas diſcordias, cum bello
& alijs iræ diuinæ pœnis conferamus, inveniemus
profecto factiones fuiſſe & eſſe plurib. populis magis
D. 1. l. 4. *exitio, quam bella externa, quam fames morbiue,*
quæq; alia in Dei iras, velut ultima publicorum
malo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

malorum vertunt. Id vnum venenum, ea labes civitatibus opulentis reperta, vt magna imperia mortalia eſſent: Quare & Hannibal dixit nullam magnam ciuitatem diu quieſcere poſſe: Si foris hoſtem non habet, domi inuenire: vt præualida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur. Arduum enim eſt (ait Tacitus) eodem loci potentiam & concordiam eſſe. Vetus ac iam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido, cum imperij magnitudine adolet erumpitq;. Nam rebus modicis ęqualitas facile habetur: Sed vbi ſubactis hoſtibus, ſecuras opes concupiſcere vacuum eſt, tum inter ordines exardent certamina: Tum illud videre eſt, quod Lucanus cecinit.

D. 1. l. 2.
D. 3. l. 10
4. An.
2. Hiſt.
lib. 1.

Nulla fides regni ſocijs; omnisq; poteſtas
Impatiens conſortis erit. Et paulo poſt:
Nec quenquam iam ferre poteſt Cæſarue priorẽ
Pompejuſue parem. Et ſic ſecundum

Livium, occæcatos lupos inteſtinâ rabie opprimendi occaſio eſt. Quę enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma ciuitas eſt, quę non odijs atq; diſſidijs poſſit euerti? Agrigentinum quidem, doctum quendam virum carminibus Græcis vaticinatum ferunt: Quæ in rerum naturâ totoq; mundo conſtarent, quæq; mouerentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam. Atq; hoc quidem omnes mortales intelligunt & reprobant. In Seleucenſibus quidem ſatis id apparet, quibus, (vt Taciti verbis vtar) quoties concordes agunt, ſpernitur Parthus: vbi diſſenſere, tũ ſibi quisq; contra æmulos ſubſidiũ vocant, accitus in

D. 1. l. 5.
Cic. in læl.
6. Annal.
Liu. D. 1. l. 2.

Liu. D.1. l.2. partem, aduerſus omnem valeſcit. Quid? Nonne diſcordię inteſtinæ propter fœneratores bellum æternum Romæ Volſcis Æquisq; & Sabinis ad arma concurrentibus fecere? Ibid. Nonne ad Veiens bellum vndiq; ex Hetruria auxilia conuenerunt, non tam Veientium gratia concitata, quam quod in ſpem ventum erat, diſcordiâ domeſticâ diſſolui rem Romanam poſſe, cum principes in omnium Hetruriæ populorum concilijs fremerent, ęternas opes fore Romanas, niſi inter ſemetipſos ſeditionibus ſæuirent? Liu. D. 1. l. 6. Nonne diſcordia Romanorum Prænestini moti, vt peruaſtatis agris ſigna ad portam Collinam inferrent? D. 1. l. 10 Nonne Appij Claudij & L. Volumnij certaminibus fere ad vltimum diſcrimen ventum? D. 1. l. 3. Nonne diſcordia plebis & patrum capitolium à ſeruis duce Appio Herdonio occupatum? Tacit. in Agric. Quid Græciæ vires fregit, niſi Lacedæmoniorum & Athenienſium inter ſe diſsidia? 2. Ann. Quid Germanos ſub Romanorum jugum coëgit, niſi quod concordia, qua commune periculũ erat propulſandũ, deſtituebantur? Quare & Tacitus Druſum ait haud leue decus quæſiuiſſe, inlicientem Germanos ad diſcordias. Quia non aliud (inquit) aduerſus validiſsimas gentes pro nobis vtilius, quam quod in cõmune non conſulunt. Rarus duabus tribusq; ciuitatib. ad propulſandũ cõmune periculum conſenſus: Ita dum ſinguli propugnant, vniuerſi vincuntur. Liu. D 3. l. 2. Id Hannibalem non fugiebat, quare cum vincere Fabium non poſſet, agro eius, vicinorum vaſtatis, pepercit, vt concitata illi invidia, diſcordiam concitaret inter populum Romanum & ipſum. Et regi

Perſa-

Perſarum nihil perinde curæ fuiſſe, refert Iſocra- In Paneg
tes, quam vt inteſtina bella inter Græcos moueret. Sabin. in
Nec aliud draconis dentes ſati à Cadmo ſignificant, 4. Meta.
quam diſcordiæ ſemina, quæ iuſſu Palladis .i. pru-
dentiæ jecit inter Draconis regis (quem occiderat)
filios, quos coniunctis viribus contra ſe bellum ge-
rentes ita diſtraxit, vt mutuis vulneribus concide-
rent. Idem volunt dentes ſerpentini ab Iaſone ſemi- 7. Met.
nati, qui (cum armata hominum multitudo inde
ſurrexiſſet) mutuis vulneribus ceciderunt. Hæc ſunt Ver. 7.
illa ſemina, quę Alecto furia infernalis inter La- Æn.
tinos & Troianos ſparſit: Hæc ſunt illa venena, quę
multis populis, gentibus & ciuitatibus exitio fuerunt. Liu. D.
Quare & optimus ille imperator T. Quintius, cum 4. l. 4.
liberata & pacata Græcia diſceſſurus Romam erat,
hortatus eſt, vt concordiæ in ciuitatibus principes &
ordines inter ſe, & in commune omnes ciuitates con-
ſulerent. Aduerſus conſentientes nec regem quen-
quam ſatis validum, nec tyrannum fore. Diſcordiam
& ſeditionē omnia oportuna inſidiantibus facere: cū
pars quæ domeſtico certamine inferior ſit, externo
potius ſe applicet, quam ciui cedat. Sic & Micipſa
moriturus filijs dixit: Ego regnum vobis trado fir-
mum ſi boni eritis: ſi mali, imbecillum. Nam con- Sall. Bel.
cordiâ res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dila- Iugur.
buntur. Id quod Scylurus hac imagine ſignificauit.
Is enim moriturus, quum XXC. filios poſt ſe eſſet re-
licturus, faſciculum haſtilium ſingulis porrexit, ac Plut in
confringere juſsit. Quum nullus id præſtare poſſet, Apoph.
ipſe ſingulatim faſci vnum poſt alterum eximens
fregit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

fregit, Docens eos, iunctos quidem inter ſe, vires habituros ac perduraturos: Sin vero diſjungerentur, & diſcordijs agitarentur infirmos fore. Quamobrem cum Concordia res ſit tam pulcra tàm vtilis, tam neceſſaria, tam difficilis; Diſcordia vero venenum tam frequens, tam pernicioſum, tam contagioſum, tam mortiferum, tam pertinax, plus certe huic malo ſanando, quam externis bellis propulſandis requiritur conſilij, artis, induſtriæ, prudentiæ, auctoritatis. Quemadmodum enim externi vulneris, quam latitantis morbi facilior eſt curatio: Sic hoſti extrinſecus aduentanti, minori reſiſtitur labore quam domeſticæ factioni. Illic vis additur conſilio: Hic ſolâ prudentiâ res tranſigitur. Illic victoria ſuperatis luctuoſa eſt, victoribus inuidioſa: Hic inferiores modeſtiæ, ſuperiores moderationis laudem capiunt. Illic innocentes ac noxij iuxtà cadunt: Hic cauſæ & merita ſpectantur. Illic belli ſuaſoribus honos, diuitiæ, potentia: Hic ſeditionis auctoribus opprobria, pernicies, interitus. Retineatur igitur illud Ciceronis.

Off. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Pro rato habeatur illud Vlyßis contra Aiacem:

Tibi dextra bello
Vtilis, ingenium eſt quod eget moderamine noſtro.
Tu vires ſine mente geris: mihi cura futuri eſt.
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides, Tu tantum corpore prodes,
Nos animo. Quantoq; ratem qui temperat, an-
(teit

Remi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Remigis officium, quantum eſt dux milite maior
Tantum ego te ſupero. Nec non in corpore noſtro
Pectora ſunt potiora manu, vigor omnis in illis.
Cæterum vt ad rem redeamus, laudantur apud ve- Iliad. 2.
teres nomine ſedati motus inteſtini Neſtor & Vlyſſes & 9.
ab Homero, *Æneas à Virgilio. Apud Romanos* Æn. 12.
φιλοσυχίας *laudem primus meruit Metius Suffe-* Liu. D.
tius Albanorum dux, inteſtino inter Romanos & 1. l. 1.
Albanos bello remedium inueniens, quamuis hic
partam gloriam contrario maleficio perdidit. At
ſolidum decus obtinuit, M. Valerius Coruinus, qui, D. 1. l. 7.
vt pacem inter ordines conciliaret, pacem petere
quam vincere ſuos ciues maluit. Nec minus cele- D. 1. l. 2.
bre Menenij Agrippæ nomen eſt, qui orator ad ple-
bē (quæ auctore Sicinio in Sacrum montem ſeceſſerat)
miſſus, concordiam hac recitatâ fabulâ reſtituiſſe
fertur, Tempore quo in homine non, vt nunc, omnia
in vnum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum-
cuiq; conſilium, ſuus ſermo fuerit, indignatas reli-
quas partes ſuâ curá, ſuo labore ac miniſterio, ven-
tri omnia quæri; ventrem in medio quietum, nihil a-
liud quam datis voluptatibus frui: Conſpiraſſe inde
ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet da-
tum, nec dentes conficerent. Hac irâ dum ventrem
fame domare vellent, ipſa vnà membra, totumq;
corpus, ad extremam tabem veniſſe. Inde appa-
ruiſſe ventris quoq; haut ſegne miniſterium eſſe: nec
magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes cor-
poris partes, hunc quo viuimus vigemusq; diuiſum
pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem.

Compu-

Comparando hinc quàm inteſtina corporis ſeditio, ſimilis eſſet iræ plebis in patres, flexiſſe mentes hominum. Ergo hic videre fuit, quod Vergilius monuit:

1. Æn: ——— In magno populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile vulgus
Iamq; faces & ſaxa volant furor arma miniſtrat
Tum pietate grauem ac meritis ſi forte virum (quem
Conſpexere, ſilent, arrectisq; auribus aſtant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Liu. D. 1. l. 9. Talis fuit etiam, qualem hic Vergilius deſcribit, Q. Fabius, qui Cenſor Maximi nomen, quod tot victorijs non pepererat, ordinum temperatione peperit. D. 3. l. 8. Talis fuit P. Scipio, qui de ſeipſo prædicat, ſe tum, cũ ſeditionem militum in Hiſpaniâ puniret & compeſceret, haud ſecus, quam viſcera ſecantem ſua cum gemitu & lacrymis, triginta hominum capitibus expiaſſe octo millium ſeu imprudentiam ſeu noxam. Sall. Bel. Catil. Talis fuit Cicero in opprimendis Catilinæ furoribus. Tales (vt ad noſtra quoq; tempora deueniamus) Chytræ. in Saxoniâ lib. 9. & 10. multi Bremæ fuerunt: qui triennali ſeditioni paucorũ pœnis feliciſſimè finem impoſuerunt Anno Chriſti 32. Talis fuit illuſtriſſimus Haſſię Langrauius Philippus inſigni prudentiâ lites & controuerſias in ſeditionẽ erupturas, âpud Monaſterienſes Anno 32. ex Repub. remouens. Chytræ. ibid. lib. 10. Tales fuere legati ciuitatum Anzæ, qui Lubecenſibus poſt diuturnos inteſtinos & externos motus ſublato à Reipub. regimine Wollenvvebero ſeditioſiſſimo conſule, tranquillitatem reſtitue- Chytræ. lib. 1. runt Talis etiam Ranzouiana fuit familia, con-

troverſias

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

trouerſias cum Poggevviſchijs de recipiendo Holſatiæ Domino motas, prudentiſsimo & ſaluberrimo conſilio componens atq; ſuſtollens. Ex his igitur manifeſtum noſtros principes in hoc etiam æquali cum veteribus paſſu procedere. Et ſic in æquatione primi & difficillimi muneris, quod principibus incumbit, productis ex noſtra ætate & viris bellicoſis fortiſsimis & togatis prudentiſsimis, qui ab externis & domeſticis hoſtibus ſuas Reſpub. ſeruarunt, adhuc locum ſuum noſtrates contra veteres defenderunt. De altero autem Magiſtratus officio, quod ſe exerit in τὸ τὴν πόλιν καλῶς πράττουσαν διαφυλάξαι .i. in ciuitatis res ſecundas cuſtodiendo, non opus eſt multum verborum facere. Quamuis enim illud vulgatum.

(Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri, Ouid. 2.
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus,) rectiſsime de arte
huc etiam accommodari poſsit, præſertim dum iuxta Lucretium.

——Quiduis citius diſſolui poſſe videmus,
Quã rurſus refici. συστῆσαι μὲν γὰρ ἐστὶν ἅπαντα lib. 1.
χαλεπόν, διαλῦσαι δὲ ῥάδιον inquit Iſocrates: In orat.
Tamen cum & antea nonnihil de ſtudio pacis & ad Phil,
tranquillitatis conſeruandæ in noſtris principibus & Magiſtratibus præfati ſimus, & florentiſsimus, Dei beneficio, ciuitatum & ducatuum hoc tempore in totâ ferè Saxoniâ ſtatus, ipſe ſecundum de noſtris principibus teſtimonium perhibeat; non operæ precium eſt ea, quę oculari inſpectione deprehendi poſſunt, longâ verborum congerie inculcare. Quod ſi

tamen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

tamen ſingulatim de quibusdam principum & Magiſtratuum virtutibus ſit dicendum, omnis huc redundabit commendatio, vt Reip. vtilitate nihil illis fuiſſe antiquius monſtretur. Vt enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria; Sic moderatori Reipub. beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copijs locuples, gloriá ampla, virtute honeſta ſit. Huius operis maximi inter homines atq; optimi, principem eſſe perfectorem decet. Sed requiruntur ad hoc opus multæ adminiſtræ virtutes, vt cura conſeruandæ religionis, ἀυταρκεία, iuſtitia, clementia, ſeueritas & aliæ. Neq; enim ſine his vel ſalutaris vel diuturna Reipub. tranquillitas eſſe poteſt. Nam pietate aduerſus Deum ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & vna excellentiſsima virtus juſtitia tollitur. Quare & Camillus captâ à Gallis Româ dixit, Romanis omnia proſpera eueniſſe ſequentibus Deos, aduerſa ſpernentibus, id quod multis exemplis probauit. vnde Horatius ad Romanos:

Cic. 1. de Nat. Deorum
Liu. D. 1. l. 5.
3 Carm: Od. 6.

Dijs te minorem quod geris, imperas.
Hinc omne principium, huc refert exitum.
Dij multa neglecti dederunt,
Heſperię mala luctuoſæ.
Jam bis Monæſes & Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros: Et adjeciſſe prædam
Torquibus exiguis renidet &c.

Ἀυταρκεία autem quam neceſſaria ſit gubernatori, ſatis ex hoc Salluſtij apparet: Sæpe ego cum animo

meo

*meo reputans quibus rebus clariſsimi viri magni-
tudinem inueniſſent; quæ res populos nationesq; ma-
gnis auctoribus auxiſſent; ac deinde quibus cauſsis
ampliſsima regna & imperia corruiſſent: Eadē ſem-
per bona atq; mala reperiebam, omnesq; victores
diuitias contempſiſſe & victos cupiuiſſe. Eſt enim
auaritia bellua tam fera, immanis, intoleranda,* Ibid.
*vt, quo intendit, oppida, agros, fana atq; domus va-
ſtet: Diuina cum humanis permiſceat: neq; exer-
citus, neq; mœnia obſtēt, quo minus viâ ſuâ penetret:
famâ, pudicitiâ, liberis, patriâ atq; parentibus cun-
ctos mortales ſpoliet. Nec vllum deniq; eſt offi-* Cic. pro
cium tam ſanctum atq; ſolēne, quod non auaritia P. Quin-
comminuere atq; violare ſoleat. Quare & C. *Pon-* tio
tius Samnis, vtinam, inquit, ad illa tempora for- 2. off.
tuna me ſeruaſſet: Et tunc eſſem natus, quando Ro- Sab in 1.
mani dona accipere cepiſſent. Non eſſem paſſus Metam:
*diutius imperare. Hæc enim (dona inquam) hæc
ſunt caput illud Meduſæ, cuius aſpectu omnes ver-
tebantur in ſaxa. Neq; enim quicquam per caput
Meduſæ aliud ſignificatur, niſi immenſæ Gorgonum
opes, quibus Perſeus potitus, omnes quos bello ad-
ortus eſt, ſubegit. Hæc ſunt aurea illa mala, qui-
bus Atalantæ pernicitas eluſa docuit, nullam belli
celeritatem eſſe tantam, quæ non poſsit illis proie-
ctis vinci. Philippus Macedonum rex omnia ca-* Cic ad
ſtella expugnari poſſe dicebat, in quo modò aſellus Attic.
onuſtus auro poſſet aſcendere. Nam Hor.3.

Aurum per medios ire ſatellites Car. od.

 16.

Cic.2.of. *Et perrumpere amat ſaxa potentius*
Ictu fulmineo &c.

Quod cum ita ſit, recte dicitur, quod nullum vitium ſit tetrius, quam auaritia, præſertim in principibus & Rempub. gubernantibus. Habere enim quæſtui Rempub. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam atq; nefarium. Itaq; quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nullâ re aliâ, quam auaritiâ perituram, is videtur non ſolum Lacedæmonijs, Exod.18. *ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. Et hæc cauſa erat, quod Ietro Moiſi ſuadebat vt tribunos & centuriones conſtitueret, qui odiſſent auaritiam, & in quibus eſſet veritas h. e. Iuſtitia.* 3.off. 2 ff, *Cum enim iuſtitia omnium ſit domina & regina virtutum, ex qua vna viri boni apellantur, certe gubernatores nec poſſunt nec debent hac deſtitui, quippe cuius fruendæ causâ non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus, ſed apud alios etiam morati reges olim conſtituti. Neq; enim injuriam facere eſt imperio vti. Vt autem eo rectius munera ſua exequi juſticia poßit, Cicero jubet, vt ſumma ſit in jure dicendo ſeueritas, dummodo ea ne varietur gratiâ, ſed conſeruetur æquabilis. Vincit enim ſalutaris ſeueritas inanem ſpeciem clementiæ. Sed quoniam vt facilitas auctoritatem, ſic ſeueritas plerumq; amorem minuit, temperanda eſt interdum ſeueritas clementiâ. Cuncta enim imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitror, neq; quenquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis*

Ibid. Salluſt. Ad Q. F. l. Ep. 1. Lib. 1. Ep. 1. ad Brut. Tacit. in Agricol.

Salluſt. ad Cæſ. orat. 1.

multis formido recidat: eam vitam bellum æternum
atq; anceps gerere: Quoniam neq; à tergo aut late-
ribus tutus ſis, ſemper in periculo aut metu agites.
Contra qui benignitate & clementia imperium
temperauere, his læta & candida omnia viſa, &
iam hoſtes æquiores, quam alijs ciues. Rectè e-
nim Ouidius:

Dextera præcipuè capit indulgentia mentes;
Aſperitas odium ſæuaq; bella mouet;
Odimus accipitrem, quia viuit ſemper in armis
Et paridum ſolitos in pecus ire lupos.
At caret inſidijs hominum quia mitis hirun- In A.
(do eſt: delp.
Quaſq; colit turres Chaonis ales habet. Hinc Te- Act. 1.
rentius Errat longè mea ſententia, (inquit) qui cre- Sc. 1.
dit imperium grauius eſſe aut ſtabilius, vi quod fit,
quam illud quod amicitia adiungitur. Neq; enim
vlla vis imperij tanta eſt quę premente metu poſſit 2.offic.
eſſe diuturna. Cum igitur malus ſit cuſtos diutur-
nitatis metus, contraq; beneuolentia fidelis ſit ad
perpetuitatem, Phœbus quoq; temerarium Phaeton-
ta omneſq; Magiſtratus, jubet huic virtuti ſtudere,
dum inquit:

Parce puer ſtimulis, vehementius vtere loris. 1. Meta

Oſtenſum eſt, auditores humaniſſimi, ijs qui per- 1.offic.
ſonam ciuitatis aut Reipub. gerunt, opus eſſe curâ
religionis, odio auaritię, iuſtitiâ, ſeueritate atq;
clementiâ, & abſq; his nullam procurationem
Reipub. (quæ vt tutela ad vtilitatem eorum, qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa, ge-
renda eſt) ſubditis eſſe ſalutarem. Pietatis exem-
pla adducuntur, præter Dauidem, Salomonem,
Ioſiam, Ezechiam & alios, ex Ethnicis Crœſus, im-
menſis donarijs, quæ Delphos miſſa, pietatem ſuam
erga Deos declarans; Reges Ægypti tantam reli-
gionis curam gerentes, vt ſubditi quamuis carni-
ficinam potius ſubierint, quam Ibin aut Aſpidem
aut felem aut canem aut crocodilũ violent: Quorum
etiam ſi imprudens quippiam fecerint, pœnã nullam
recuſent. Athenienſes Apollinem Pythium, quas po-
tiſſimum religiones tenerent conſultantes; Romani,
qui omnium magnarũ rerum & principia exorſi ab
Dijs ſunt, & finem eum ſtatuerunt: Qui etiam
dederunt negotium Romæ ædilibus, vt animaduer-
terent, ne qui, niſi Romani Dij, neu quo alio
more, quam paterno colerentur. Vnde ſeniores prin-
cipes Romani occupatâ à Gallis vrbe, in extremis
periculis conſtituti iuſſerunt Flaminem ſacerdotesq;
Veſtales ſacra publica à cæde ab incendijs procul
auferre, nec ante deſeri cultum eorum, quam non
ſuper eſſent, qui colerent. Comana vetuſtiſſimum
& ſanctiſſimum in Cappadociâ Bellonę templum,
tanta dicitur religione coli, vt ſacerdos eius Deæ,
maieſtate, imperio & potentiâ ſecundus à rege con-
ſenſu gentis illius habeatur. De Germanis tradi-
tur quod Deum adeſſe bellantibus credentes, effi-
giesq; & ſigna quædam, detracta lucis in prælium
ferant. Etſi vereor, auditores, ne vitio mihi ver-
tatur,

Herod. lib. 1. Cic. 5. Tuſc. Q.

Cic. 2. de leg.

Liv. D. 5. l. 5.

D. 1. l. 4.

D. 1. l. 5.

A. Hirtius Bel. Alexan.

Tacit de morib. Germ:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

tatur, ſi contra hæc aliquid inferam, quippe quæ magis deformant antiquitatem quam ornant. Quis enim mentes tantæ prauitatis erroribus imbutas ob idipſum quod vituperandum erat, commendatione dignas cenſeret? Veruntamen cum non tam ſuperſtitionem ipſam, quam ardorem principum in conſeruandis religionibus, laudari cauſentur, non poſſum facere quin paucis ijs reſpondeam. Quia verò honor, res externorum bonorum maxima, præmium ſit virtutis & nullus niſi vir plane bonus hoc affici debeat, videndum erit primùm, quales nam illi Deos honorauerint. De Ægyptijs tradit Herodotus, quod non tantum Neptunum, Iunonem, Veſtam, Themidem, Charitas, Nereidas & alios coluerint, ſed etiam monſtra quædam & animalia partim hominibus infenſa, partim vtilia, vt canes, boues, anguillas, imo etiam multa herbarum genera in Deorum numerum retulerint, ſicuti teſtatur Iuuenalis, vbi Ægyptiam ſimplicitatem facete carpit hoc pacto.

Aristot. 4. Eth. cap. 3. Her. in Euterp. Natal. Com. 1 Mytholog.

Quis neſcit qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
(&c. Et alibi
Porrum & cœpe nefas violare ac frangere morſu,
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina &c.

Strabo varios fuiſſe diuerſarum nationum Deos ita tradidit, vt ſingulæ prope ciuitates, ſuos proprios Deos haberent. Nam cùm tria ex terreſtrib. animalibus vniuerſa Ægyptus coleret,

Lib. 17. Geogr.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

leret, bouem, canem, felem; ex auibus accipitrem, Ibim; Ex aquaticis ſquamoſum, oxÿrinchum: Tum Saitæ, vt inquit, & Thebani ouem colebant præcipuè: Latum, piſcem Nili, Latopolitani; Lupum Lycopolitani; Cynocephalum Hermopolitani; Cepum Babylonij qui colebant iuxta Memphim; Aquilam Thebani; Leonem Leontopolitani; Capram & hircum Mendeſij; murem & araneam Athribitę. At Græci qui Ægyptiorum aliarumq́ nationum acceptas ab ijs ſuperſtitiones deriſerant, in multo maiores errores ſunt poſtea collapſi. Nam & adulteros & latrones & ebrioſos acſacinoroſos homines, qui multo erant brutis impuriores pro dijs coluerunt. Athenienſes ignoto Deo aram erexerunt, Romani etiam lapidem (quem Deorum matrem eſſe volebant) & ſerpentem (qui illis Epiadurus erat) adorarunt. Sed vt his relictis ad maiorum gentium Deos veniamus, qualesnam illi fuerunt? De Saturni ſceleribus antea dictum fuit: De Iouis quem ipſi immortalem, Sum. opt. max. Deorum atq́ hominum regem nuncuparunt, audite. Immortalem cur Iouem dixerint non inuenio, cum & natum & educatum imo mortuum quoq́ & ſepultum apud ſe Cretenſes, monſtrato eius ſepulcro, affirment, niſi fortaſſe intolerabilis ipſius ambitio, cui templa & arę poſita ſunt, etiam viuente ipſo, immortalitatem hanc ipſi addiderit. Ad ſummum ipſum fuiſſe facile conceſſerim, nimirum in ſceleribus & flagitijs. Facile enim hoc in genere palmam patri ſuo præripuit.

[N]atal. [C]om.

[C]iu. D. 3. [.]9.

[L]ucian. [i]n ſacrif.

puit. Neq; enim tantum eadem impietatis, ἀστοργίας, ambitionis, crudelitatis facinora perpetravit quæ Saturnus: verum etiam his omnibus, quibus excelluit vel in ſummo gradu, plurima alia addidit Nec mihi iam neceſſe eſt eius ſceleribus enumerandis caſtas aures offendere, cum & ex Ouidij Metemorphoſεωρ libellis, adulteriorum, quæ Iupiter, neſcio, qua non ſub ſpecie commiſit, plenis, & ex Iliade Homeri, in qua vnus crudeliſſimum Deorum, alter injuſtiſſimum, tertius fontem omnium malorum, fœdifragum &c. facit, & deniq; ex 1. lib. Mythologiæ Natalis comitis, vbi tanquam ex ſpeculo omnia non tantum Iouis, ſed omnium Deorum ſcelera conſpicuuntur copioſiſſime hæc peti poſſint. Quamobrem cum Dij gentilitij, etiam ipſorum Ethnicorum confeſſione tales fuerint, quis illos, nullum pium honore dignum habentes, honorandos cenſeret? Quis illos cultores, quos ſuorum Deorum malitia non latebat, non dicam laudaret, ſed ſolummodo excuſaret? Qualis enim fuit ille cultus? Qualia illorum fuerunt ſacrificia? Commeſſationibus & conuivijs, celebrandis genio ſuo indulſerunt: Alij ſub ſpecie religionis horrendis libidinibus ſe contaminarunt: Alij volutationibus in luto cloacisq; ſe turparunt. De nocturno Bacchi ſacro, quod Romę fuit, Liuius tradit, quod ex quo in promiſcuo ſacra fuerint, & permiſti viri feminis, & noctis licentia acceſſerit: nihil ibi facinoris, nihil flagitij prætermiſſum: Plura virorum inter ſeſe, quam feminarum

Plut. De ſuperſtit.

 minarum

minarum fuiſſe ſtupra: ſi qui minus patientes dedecoris eſſent, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari nihil nefas duxiſſe; hanc ſummam inter eos religionem fuiſſe. Non ſatius eſſet, inquit Plutarchus, non exiſtere Deos, quam exiſtere talia probantes, talibusq; gaudentes, itaq; iniurioſos, itaq; ſordidos, prauaq; de cauſa iraſcentes? An non melius erat Galatis illis & Schythis nullam penitus Deorum habere noticiam, neq; imaginationem, neq; hiſtoriam; Quam cenſere Deos eſſe, qui gauderent occiſorum hominum ſanguine, atq; hanc perfectiſſimam victimam & ſacrificium arbitrentur? Quid autem Carthaginienſibus? Nonne vtilius erat, Critiam aut Diagoram à principio ſumpſiſſe legis latorem, neq; quempiam Deorum aut Dæmonum recepiſſe, quam talia ſacrificaſſe, qualia Saturno ſacrificabant, non quemadmodum Empedocles ait, animalium occiſores obiurgans,

De ſup.

Ad gnatum ſpecie mutatum interficit, altè
Sublatum genitor ſtultus, permulta precatus
Diuos: ——

Sed ſcientes ac cognoſcētes ipſi ſuos ipſorū liberos ſacrificarunt; Porro qui liberis carebant, à pauperib. emptos pueros, quemadmodū agnos aut auium pullos. Adſtabat autem mater rigida & abſq; gemitu: ſi autem ingemuerat, aut lacrymauerat, oportebat eam honore priuari, puer autem nihilominus ſacrificabatur. Præterea quoq; ante ſtatuam omnia plena erant tibijs canentium & tympana pulſantium,

ne vi-

ne videlicet clamor exaudiretur. Si vero Typhones aliqui aut gigantes Dijs eiectis imperarent, qualibus victimis alijs lætarentur, aut qualia ſacrificia alia expetiſſent? Ameſtris Xerxis vxor duodecim defodit viuos homines pro ſe Plutoni. Galli immani magnitudine ſimulacra habuerunt quorum contexta viminibus membra viuis hominibus compleuerunt, quibus ſuccenſis, circumuenti flamma exanimati ſunt homines. Videtis hinc auditores, quod quales Dij fuerũt talia fuerint ſacrificia, et qualia ſacrificia tales illarum ſuperſtitionũ cultores. Deſinant igitur, deſinant pietatis nomine (cuius nullam micam habuerũt) veteres principes euehere. Quod vero Dauidem Salomonem & alios ex Biblijs proferunt, næ mihi videntur illi parum conſiderare, quantum argumenta ab exemplis petita per Inductionem, prolatis diſſimilibus, virium habeant. Nominent illi quatuor, nominent decem bonos & religioſos principes: Nos centum malos & impios ex eodem penu depromptos, contra nominabimus. Et eâdem ratione proferant illi ex hoc ſeculo vnum aut alterum prinpem, qui Nullam rerum diuinarum agant curam, qui verbum Dei contemnant, fideles concionatores perſequantur, bona Eccleſiaſtica ad ſe transferant: Nos contra multos proferemus, quorum pedibus lucerna eſt verbum Dei, qui nutritij ſunt Eccleſiæ, qui bona Eccleſiaſtica abrogatis abuſibus, ad honeſtiſsimos & Eccleſiæ Dei vtiliſsimos vſus conuertunt, qui multos in monaſterijs, ſcholis & Academijs, ali-

Cæſ:6. Bel·Gal.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

quando Eccleſijs & Rebuspub. profuturos, maximis impenſis alunt & fideliter in pietatis exercitijs & optimarum diſciplinarum ſcientijs inſtitui curant. Liu.D.3.9. Poßemus etiam multos ex antiquitate dare ſacrilegos, vt Pyrrhum Locris theſauros Proſerpinæ ſpoliantem; Pleminium eodem facinore ſe nobilitantem; Q. Fuluium Flaccum in Brutijs ædem Iunonis Laciniæ detegentem; Perſas mille nauium numero Delum Herod.7 nauigantes & templo Appollinis rapaces manus Iuſt. 24. adhibentes; Brennum Gallorum ducem Delphis Apollinis templum violantem; Craſſum ex templo Hieroſolymitano magnam pecuniæ vim auferentem; Cæſarem in primo conſulatu tria millia pondo auri, repoſito inaurato ære, Suet. in Cæſ. furantem è capitolio; Dionyſium qui cum ad Peloponneſum claſſem appuliſſet, & in fanum veniſſet Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum, grandi Cic.3. de Natur. Deor. pondere, atq; in eo etiam cauillatus eſt, æſtate graue eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum, eiq; laneum pallium iniecit, cum id eſſe aptum, ad omne anni tempus diceret. Idemq; Æſculapij Epidauri barbam auream demi iußit. Neq; enim conuenire, barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis pater imberbis eſſet. Iam menſas argenteas de omnibus delubris iußit auferri: In quibus quod more veteris Græcię inſcriptum eſſet BONORVM DEORVM, vti ſe eorum bonitate velle dicebat. Tales, inquam ſacrilegos multos præterea dare poſſemus, quemadmodum & alios qui inauſpicatò in bellum profecti

ſunt

ſunt, qui religionem ſimularunt &c. Verum cum in longius hæc mea oratio creſcat, quam putaram non poſſumus vberius omnia, de quibus copioſiſſimè dici poſſet, proſequi. Hactenus igitur de pietate principum erga Deum: Propter αὐταρκίαν *in laude ſunt apud veteres; P. Valerius, omnium conſenſu princepis belli pacisq; artibus, qui gloriâ quidem in-* Liu.D.1.
genii, ſed copijs familiaribus adeo exiguis mortuus l.2.
eſt, vt funeri ſumptus deeſſet: Agrippa Menenius interpres arbiterq; concordiæ ciuium, legatus pa- Ibid.
trum ad plebem, reductor plebis Romanæ in vrbem, qui moriens opus habuit, vt ſextantibus in capita collatis, efferretur de alieno: Cicero, qui glorians Lib.5.
in Epiſtola quadam ad Atticum dicit in prouincia Ep.17.
ſic ſe gerere, quod ad abſtinentiam attinet, vt nullus teruncius inſumatur in quenquam: Et alibi: ſe Ariobarzanis inſidiatoribus ἀπρόσιτον *ſe non modo* ἀδωροδόκητον *præbuiſſe; C. Fabricius, qui* Ep.20.
miſſus ad Pyrrhum, vt de redimendis captiuis ageret, fruſtra vt patriam deſereret, à rege tentatus eſt. Liu.D.2.
Hic, teſte Plinio, bellicoſos imperatores plusquam l.3.
pateram & ſalinum ex argento habere vetuit. Nec lib.33.
Scipio ab hac laude fuit alienus, quippe qui An- c. 12.
tiochi munera, videlicet auri pondus ingens, & nomine tantum regio excepto ſocietatem omnis regni Liu.D.
reſpuit: Quemadmodum nec alter Africanus. Hic 4.l.7.
ampliſſima munera ſibi ab Antiocho rege Syriæ miſ- D.6.l.7.
ſa, cum celare alijs imperatoribus regum munera mos eſſet, pro tribunali ſe accepturum eſſe dixit, eaq; omnia

D. 5. 6. omnia referre Quæſtorem in publicas tabulas juſſit,
Cic. 2. ex ijs ſe viris fortibus munera daturum. Quid L.
off. Æmylius Paulus? Huius tanta abſtinentia fuit, vt
cum ex Hiſpanniâ & Macedoniâ maximas opes re-
tuliſſet, vix ex auctione bonorum eius, redactum ſit,
vndes dos vxori eius redderetur. Quanta L. Mum-
Cic.in mij fuit abſtinentia, quanta Manij Curionis: Quo-
Cat. rum huic ad focum ſedenti & rapum (ſicut auctor
Plin.l.19. eſt Plinius) torrenti, magnam auri pondus Samni-
c.5. tes cum attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. Non enim
aurum habere, præclarum ſibi videri dixit, ſed ijs,
Liu.D. qui haberent aurum, imperare: Ille vero adeo ab-
6.l.2. ſtinentem virum ſe gerit, vt nihihil ex ijs opibus or-
Cic.2.of. namentisq́; quæ prædiues Corinthus (quam ipſe di-
Plin.l. ruebat) in domum eius perueniret, imo excederet
38.c.7. non relicturus filiæ dotem. Tiberium quoq; huc re-
Suet.c. ferunt, qui præſidibus onerandas tributo prouincias
32 in ſuadentibus, reſcripſit: Boni paſtoris eſt tondere pe-
Tiberi. cus non deglubere. Magna quidem hæc abſtinentiæ
ſunt exempla, ſed maiora tamen aliquantutum vero
Suet.c. eſſe, nemo, qui de hiſtoricis, anteà quæ nobis prædicta
ſint meminerit, dubitabit. Tiberius certe licet prin-
33. cipio imperij paulatim principem exerceret præſta-
Cap. 49. retq; & ad vtilitates publicas pronum: Tamen pro-
cedente mox tempore, adeo ad rapinas conuertit a-
Liu.D. nimum, vt magis de rapacitatis & auaritię notâ de-
4.l.8. lendâ, quam de αὐταρκείας laude appetendâ ipſi ſit
cogitandum. Scipionum quoq; abſtinentiam accu-
ſatio tribunorum, furti illos ob prædam Aſiaticam

inert

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

interceptam reos agens, dubiam facit. Cæterum vt tales, quales famâ perhibentur reuera fuiſſe concedamus, multa quoq; hoc ſeculo abſtinentiæ exempla nihil antiquis minora opponere aduerſarijs poſſemus, niſi compendioſius eos refutari ex ipſa antiquitate poſſe iudicaremus. Cuius enim hoc ſeculo tanta eſt auaritia, cui non par, imo maior ex vetuſtate poßit produci? Nam, vt omißis alijs, quæ ex omnibus gentibus & nationibus colligi poßent, quis in ijs duntaxat, quæ ſola Rom. Reſpub. exhibet, enumerandis non fatigetur? Neq; enim tantum poſteriora, Salluſtij puta & Horatij, tempora hoc vitio ſcatebant, ſed etiam priora ſecula, quemadmodum Ouidius inquit: 1.Faſt.

Vix ego Saturno quenquam regnante videbam
Cuius non animo dulcia lucra forent.

Quid? Nonne ipſe Romulus vrbis Romanæ conditor rapta inter paſtores diuidendo, ſatis ſuę auaritiæ dedit documenta? Nec centum illos ſenatores, quos primùm creauit Romulus principe ſuo meliores fuiſſe veriſimile eſt, quippe qui omnibus ſceleribus polluti, Romam ad aſylum, quod Romulus aperuerat ſine diſcrimine perfugerant. Tarpeia certè pro aureis armillis arcem Romanam Sabinis tradens, abſtinentiæ, quæ in Romanis veteribus fuit conſpicienda euidens eſt exemplar: Quod videre erat anno ab V.C. quarto. Sed quid ego muliebrem adhibeo ſexum, cum deteſtandæ virorum auaritiæ vix ſufficiam? Anno C.V. Romanæ 309. Aricini atq; Ar- Liu·D.1. l.1.

dates

D.1.l.3 deates (audite admirabile facinus) de ambiguo a-
gro cum ſæpe bello certaſſent, multis inuicem cladi-
D.4.l.4. bus feßi, judicem populum Rom. fecere. Credidere
homines miſeri, Romanos, quo plus poſſent, & mo-
In Adelp. Act.3. ſce.5. deratius imperio vſuros, & (quemadmodum Te-
rentius inquit) quam eſſent maximè potentes, dites,
fortunati, nobiles, tam maximè eos æquo animo æ-
qua cogituros. Sed quid accidit? Agrum, de quo
ambigebatur, ſibi, auctore Scaptio quodam, popu-
1.off. lus R. aßignauit. O dignum eo populo, quem juſti-
tiâ dicit Cicero orbem terrarum ſub leges ſuas con-
feciſſe, judicium! Quod nemo priuatæ rei judex fe-
cit, vt ſibi controuerſioſam adiudicaret rem; id
Pop. R. totius fere eo tempore Italiæ Dominus, vt
effugeret, nulla dehortatione nullis precibus adduci
potuit! Qui iuſtitiam adminiſtrare, leges vicinis
gentibus ferre, auaritiam & πλεονεξίαν punire de-
bebat, is quadruplatoris & interceptoris litis alienæ
perſonam ferre non erubuit. Verùm (aiunt) Pop.
Rom. hoc fecit inuitis patribus, quippe quibus non
minus id fœdum atq; acerbum, quam Aricinis Ar-
deatibusq; viſum eſt. Non hoc nos agimus, vt omnes
antiquos adeo præmortui pudoris fuiſſe doceamus Sa-
tis eſt ad noſtram cauſam, ſi aliqui, ſi maxima pars
populi Romani, huius judicij dedecus dimouere à ſe
non poßit. Quamuis quid eſt, quod ſe patres excu-
ſent, cum nonminus ipſi quam plebes auaritiæ crimi-
ne comdemnari poßint? Quid enim creberrimas Ro-
mæ ſeditiones magis excitabat, quam inexplebilis
patri-

patritiorum auaritia? Quid plebem, vt in Ianiculum ſecederet, coëgit, niſi crudelis fœneratorum, quæ miſeram plebeculam exugebat auaritia? Quid cauſam præbuit, vt quæ indignantibus patribus lex ferretur, ne quis vltra quingenta jugera agri poßideret cum multi ex plebe, vix quatuor jugerum eſſent domini? Auaritia. Quid huius legis auctorem Licinium ſtolonem, vt mille jugera tenens, ſuę legi fraudem inferret, commouit? Auaritia. Non igitur hæc, non plebis tantum præcordia poßedit ſed etiam patrum, ſed etiam ſenatorum, ſed etiam conſulum. O lumina curiæ! O ornamenta fori! Quod ſcelus vindicare debebant, in honeſti lucri capturâ inuitati, auctoritatibus ſuis texerunt. Merito igitur Portius ille Cato exclamat, vereri ſe ne, regiæ Gręciæ atq; Aſiæ gazæ magis cæperint Romanos, quam illas Romani. Merito Cicero quęritur Rempub. Rom. empto eſſe conſtupratoq; judicio. Merito Iugurtha, qui largitionibus ex maxima inuidia in gratiam & fauorem nobilitatis venerat, Româ egreſſus, ſæpe tacitus eo reſpiciens, poſtremo dixiſſe fertur: vrbem venalem & maturè perituram, ſi emptorem inueniret. Vereor, auditores beneuoli, ne in re minus dubiâ tantum verborum faciens ineptus videar: Sponte igitur M. Craſſum & Q. Hortenſium miſerabilia pecunię mancipia: Sponte Q. Catulum ſuâ auaritiâ Cordubenſes in Hiſpaniâ, cum duabus Varianis legionibus a partibus Cæſaris ab alienantem; Sponte Verrem, cæteris ſuis facinoribus

Flor. in D.2. l.1.

D.1. l.6.

D.1. l.7.

Val. l.9. c 4.

Liu. D.4. l.4.

Ad Attic. p.25.

Salluſt Bel. Iug.

Liu. D.7. l.4.

Cic. 3. offic.

Liu. D. 12. l.1.

Cic. in Verrem.

Suet. in Calig.

bus auaritiæ crimen addentem; Sponte Caligulam, qui ad rapinas animum vario & exquiſitiſſimo calumniarum & actionum & vectigalium genere conuertens, præter alia, pro edulijs etiam quę tota vrbe vænirent certum ſtatumq́, ex gerulorũ diurnis quæſtibus partem octauam, ex capturis proſtitutarum, quantum quæq; vno concubitu mereret, exegit; Sponte deniq; pudendam Veſpaſiani auaritiam prætereo, qui reprehendenti filio Tito, quod etiam vrinæ vectigal commentus eſſet pecuniam ex prima penſione admouit ad nares, ſciſcitans num odore offenderetur: Et illo negante, atqui, inquit, è lotio eſt. Hæc inquam, & alia, quæ ex ſolâ Romana Rep. ad teſtimonium perhibendum citari poſſent, ſponte prætereo. Quod ſi aliarum quoq; nationum principes cenſuræ ſubmittere vellemus, multa Hannibal Carthaginenſium dux ſuâ auaritiâ ſocios à ſe abalienantem; Multa Perſeus pecuniæ melior quam regni cuſtos; Multa Gentius exigua pecuniâ acceptâ, libertatem, regnum, coniugem & ſeipſum turpiter prodens; Multa Nabis, qui cum ipſe viros ſpoliaſſet ad feminas ſpoliandas vxorem Argos remiſit; Multa alij quos referre ſuperſedeo, fœdæ auaritiæ exempla conferrent. Sed tranſeundum ad clementiæ & Seueritatis commendationem noſtris principibus & antiquis ex æquo tribuendam. Palma vero harum virtutum apud antiquos omnium ferre ſuffragio Cæſari & Cathoni defertur, de quibus ita Salluſtius: Memoriâ meâ ingenti virtute, diuerſis moribus

Suet. in Veſp.c. 23.

Liu.D.3. l.6.

D.5.l.6. Ibid. D.4.l.2.

bus fuere viri duo M. Cato & C. Cæſar: quos quoniam res obtulerat, ſilentio præterire non fuit conſilium, quin vtriusq; naturam & mores, quantum ingenio poſſem, aperirem. Igitur his genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par, itẽ gloria: ſed alia alij. Cæſar beneficijs ac munificentia clarus habebatur; integritate vitæ Cato. Ille manſuetudine & miſericordiâ clarus factus; Huic ſeueritas dignitatem addiderat. Cæſar dando, ſubleuando, ignoſcendo; Cato nihil largiundo gloriam adeptus eſt. In altero miſeris perfugium; in altero malis pernicies. Illius facilitas, huius conſtantia laudabatur. Poſtremo Cæſar in animum induxerat, laborare, vigilare; negotijs amicorum intentus, ſua negligere; nihil denegare quod dono dignum eſſet; ſibi magnum imperium, exercitum, bellum nouum exoptabat, vbi virtus eniteſcere poſſet: At Catoni ſtudiũ modeſtię, decoris, ſed maximè ſeueritatis erat. Non diuitijs cum diuite; non factione cum factioſo; ſed cum ſtrenuo virtute; cũ modeſto, pudore cum innocente, abſtinentiâ certabat; Eſſe quam videri bonus malebat: Ita quo minus gloriam appetebat, eo magis adſequebatur. Hic tantũ Saluſtius ijs tribuit, non fortaßis quantum meruere, (ſed vt ipſe fatetur) quantum ingenio potuit. Nec ob id reprehendendus cum teſte Iſocrate oporteat τοὺς μὲν
In Buſir.
εὐλογεῖν τινάς βουλομένους, πλείω τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν αὐτοῖς τά προσόντα ἀποφαίνειν. Quoniam enim ὦτα (ſicut ait Herodotus) ἀνθρώποισιν ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν, & aliâs tar-
Lib. 1.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Sen.7.de C.23.

da ſolet magnis rebus ineſſe fides, plus interdum ſcriptores audent, quam ſperant, & incredibilia affirmant, vt ad credibilia perueniant. Sed fruantur illi ſane præconis, quem inuenerunt, ingenio; Credantur laudem iſtarum, quibus ornantur, menſuram, virtutum abundantiâ impleuiſſe. Quin etiam, ne ſoli tales fuiſſe videantur, earundem cum alijs virtutum laudem communicent: Admittantur in hanc ſcenam Valerius ille, quem Publicolę cognomento facilitas & clementia eius inſigniuit: Recipiatur delitium illud generis humani Titus, qui (Sicut diximus) diem ſe perdidiſſe quo nihil alicui præſtitiſſet, exiſtimabat. Seueritatis ſibi Cato adſciſcat æmulos totam familiam Appiam, Portium Catonem, Piſonem, alioſq; quoscunq; poterit: Nunquam tamen ex omnium ætatum & gentium annalibus, tot ſuarum virtutum inuenient παραςάτας, qui vel cum centeſsimâ parte illorum, quos crudelitas & tyrannis nobilitauit, conferri poſsint. Stet igitur hoc auditores, & belli & pacis artibus nihil minus noſtros cum prioribus æquari poſſe, quam priores noſtris omnium vitiorum exempla relinquere. Neq; enim nos in vniuerſum ab omnibus vitijs noſtrates principes liberamus, ſed veterum veſtigijs ſiue bonis ſiue malis inſiſtere, affirmamus. Quare, ſicut apud illos ſæui dementibus & contrà faciles crudelibus ingruerunt: Sic apud nos malis melioress ſuccedunt. Vitia erunt, teſte Tacito, donec homines ſunt. Sed neq; hæc continua & meliorum interuentu pen-

Liu. D. 2.l.1.

Suet. in Tito.

Tacit. 4. Hiſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

tu penſantur. Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres; ita luxum aut auaritiam dominantium tolerabimus. Conſequens nunc eſſet, auditores optimi, vt de conſiliarijs, præfectis, alijsq; miniſtris, quorum vicariâ principes operâ in obeundis muneribus vtuntur, diceremus, præſertim cum ipſorum peccata principibus plerumq; imputentur: Verum cum in hiſtorijs mediocriter verſato ſtatim eadem aulicorū vitia, quæ iam deteſtamur, antiquitus perpetrata occurrant, libens vos ad hiſtorias dimitto, in quibus inuenietis de malitiâ conſiliariorum Hieronymi Siracuſij; De Thoante Ætolos & Antiochum ad bellum Romanum concitante; De Perſæ conſiliarijs; de Ptolomæi, de Galbæ, qui diuerſo vitiorum genere graſſantibus adeo ſe abutendum permiſit & tradidit, vt vix ſibi ipſi conſtaret; De procuratoribus, quibus Veſpaſianus pro ſpongijs dicebatur vti; De Seiani improbitate; De Macrone C. Cæſari malorum facinorum auctore; qui omnes in ſuo genere fuerunt adeo excellentes, vt poſteris ad idem vitiorum faſtigium aſcendere cupientibus exemplum magis imitabile, quam ſuperabile reliquerint. Sed his & alijs, quæ de Magiſtratibus dici poſſent veſtræ in euoluendis ſcriptoribus diligentię relictis, ad reliquam partem orationis, quam homines priuati, plebei, ſeu vt nuncupauimus, oeconomici ſibi vendicāt, transgredior. Sunt autem hi partim nobiles partim ignobiles. Nobiles autem accipio non tantum eos qui virtute ſua nomen hoc merentur: verum o-

Iſoc.ad Demon.

D.3.l.4. D.4.l.5. D.5.l.2. A. Hirt. Bel. Alex. Suet.in Galb.c. 14. In veſp. c. 16. Tacit.4. Ann.6. Annal.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

mnes qui vulgò nobiles ſeſe iactant, quiq́; imagines
Sen.3.de in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo or-
Ben.c. dine, & multis ſtemmatum illigata flexuris in parte
25. primâ ædium collocant. Cum his maxime nobis res
erit. Neq; enim vllum fere hominum genus reperi-
tur, quod peius his temporibus audiat, quam iſti non
generoſi nobiles. Et mehercule, ſi quotidianæ illo-
Terent. rum vitæ conſuetudinem, quæ cuiusq; vita vt ſit, de-
clarat maximè, inſpexerimus, multos procul du-
bio reperiemus, nihil ſegnius turpiſsimis volupta-
tibus totos ſe mancipantes, quam maiores illorum,
ſub virtutis vexillo militando rem, & gloriam pepe-
Pro. P. rerunt, vt non ſine cauſa Cicero dixerit; Homines
Quint. nobiles ſeu recte ſeu perperam facere cœperunt, ita
in vtroq; excellere, vt nemo inferiore loco natus aſ-
ſequi poßit. Magno igitur conatu hîc aduerſarij
contra nos aſſurgunt, reperiſſe ſe clamitantes, quo
confeßionem antiquos virtutum prærogatiuâ donan-
tem, nobis extorqueant. Verum nihil agunt; Facile
telum hoc protelabimus. Nam etiamſi illis largia-
mur multos (vel vt liberalitate vtar maiori) plerosq;
nobiles ſe maiorum virtute gerere indignos: vt in
vniuerſum illud Homericum

Odyſſ.β. Παῦροι γὰρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέ-
(λονται,
Οἱ πλέονες, κακίους: παῦροι δέ τε πατρὸς
(ἀρείους

Recipiamus: Quis tamen adeo ſtupidus, vt cauſæ
noſtræ periculi quid hinc exiſtere concludat? An nos
ad id

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

ad id dementiæ perueniſſe arbitratur, vt Diuinæ prouidentiæ (quæ deponit potentes de ſede & exaltat humiles; quæ pauperem facit & ditat: quæ humiliat & ſubleuat: Quæ ſuſcitat de puluere egenum & de ſtercore erigat pauperē: vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat) hæc opera eſſe non agnoſcamus? Non obtuſa adeo geſtamus pectora Poeni. Ne Ethnici quidem id ignorarunt, quorum interrogatus quidam, quid Deus rerum ageret; reſpondit magnas ipſum ollas confringere & minores reficere, idem nimirum innuens quod Hanna & Maria ſuis canticis docuerunt. Nemo igitur hanc nobis inſcitiam affingat. Scimus enim non modo (quod ait Iſocrates)
χαλεπώτατον εἶναι καὶ σπανιώτατον, εὑρεῖν τι- In Panath.
νας τῶν οἴκων τῶν τυραννικῶν καὶ βασιλικῶν, τοὺς lib. 1.
τέτταρας ἢ πέντε γενεὰς διαμείναντας; *verum* Ouid.
etiam, ὡς οὐδὲν εἴη τῶν ἐν ἀνθρώποισι ἀσφαλέ- 3. Te 3.
ως ἔχον *vt eſt apud Herodotum.* l.7.

Nempe dat & quodcunq; libet fortuna, rapitq;,
Irus & eſt ſubito qui modo Crœſus erat.
Nil adeo validum eſt adamas licet alliget illud,
Vt maneat rapido firmius ille Iouis,
Nil ita ſublime eſt ſupraq; pericula tendit
Non ſit vt inferius ſuppoſitumq; Deo. Scimus (hoc.

Sed & illud ſcimus, non de præſenti tantum ſeculo, Liu. D.
ſed de præteritis etiam hæc prolata. Semper ex ſum- 5. l. 5.
mo retrò volui fortuna conſueuit: Semper Dij nos In captiu.
(vt ait Plautus) quaſi pilos homines habuerunt: Ibid

InCiſtel

Semper fortuna humana finxit artauitq; vt lubuit. Semper ita fuerũt humana, vt nihil eſſet perpetuum datum. Quapropter ſi qui ſunt, quos nobilium veterum degenerantes familiæ mouent: Illi ſe conuertant ad primum generis humani parentem Adamum, qui inter paucos ſuum quoq; habuit ἀλάστωρα Caimum: Conuertant ſe ad Noam ſanctiſsimum Patriarcham, ad Dauidem virum ſecundum cor Dei, quorũ huic Abſolom, illi chamus triſtitiæ & luctus copioſam exhibuit materiam: Conuertant ſe ad Romanorum veteres nobiles, & obſeruent, an vllum flagitij genus iſti prætermiſerint, quod noſtris obijci poſsit? An vllo crimine noſtri poſſint notari, cuius notam Marius apud Salluſtium illis non inuſſerit? Sed inferent fortaſsis, non omnes tum dedecori ſuis maioribus fuiſſe: Cum & ſuos Scipiones, Catones, Piſones ex nobiliſsimis familijs Mariana illa tempora protulerint; imo etiam homines nouos vt Marium, Ciceronem, qui maioribus ſuis præluxerunt, prioribus nobilibus addiderint. O iniquos noſtrorum æſtimatores! An adeo omnium virtutum, nobiles horum temporum ſunt egeni, vt apud nullos vlla compareant auitæ virtutis veſtigia? An omnes eo vsq; degenerarunt, vt nullum paternarum virtutum æmulum reperias? Pudet me auditores calumniarum, quibus tam aperte maleuolentiam ſuam erga noſtros antiquarij iſti produnt. Quot enim, bone Deus, nobilium vero generoſorum exempla accumulari poſſent, qui adeo non gloriam natalibus partam deformarũt vt etiam multarum

rum laudum acceſsione vehementer auxerint & ornarint? Quantus virorum clariſsimorum catalogus conſcribi poſſet, qui humili loco nati ad maximas dignitates virtutum remigio euolantes, poſteris ſuis ſummam nominis celebritatem ſunt relicturi. Sed ne aliud his enumerandis captare videar, vobis hæc auditores humaniſsimi curioſius ſcrutanda relinquo. Nos iam ad ignobiles deſcendimus, de quibus breuior nobis erit oratio, cùm quod antea nonnihil de peruerſo vulgo dixerimus; Tum quod minus de illorum malitiâ cunctis ætatibus frequentatâ dubitari videam; tum etiam quod ex principum moribus, haud difficulter, quid de ſubditis ſit cenſendum, iudicari poßit. Vt igitur primum quales erga magiſtratum ſuum fuerint, conſideremus; Non tantum Athenienſes (qui præcipuè ob hoc malè audiunt) erga præſtantiſsimos illos viros, Theſea, Solonē, Miltiadem, clariß. & Ariſtidem, Themiſtoclem, Phocionem &c. ingratos reperiemus: verum omnes ferè gentes & ciuitates. Nonne Carthaginienſes Hannibalem, Lacedæmonij Licurgum, Romani Romulum, Coriolanum, Camillum, Scipiones, Ciceronem, Siculi Hieronis poſteritatem, Campani ſuum ſenatum, & alij alios, indignis modis tractarunt? Omnino enim eſt hoc populi, in ijs potiſsimum abuti libertate, per quos eam conſecutus eſt. Nam cum hæc natura multitudinis ſit, vt aut ſeruiat humiliter, aut ſuperbe dominetur, libertatemq;, quæ media eſt, nec ſpernere modicè nec habere ſciat; præterea non de- Cic. ad Brut. Liu. D. 3. l. 4.

 ſint

ſint indulgentes irarum miniſtri, qui auidos atq; intemperantes, plebeiorum animos ad ſanguinem & cædes irritent, fit (quod plerumq; fit) vt pro beneficijs magiſtratui optime de ſe merito mala quælibet rependant. Tales autem cum omnib. temporibus in Magiſtratus ſuos fuerint, nihil meliores in ſe inuicem fuiſſe, plurimis argumentis certum facere poſſem. Sed quid attinet prolixè de his diſputare, cum veteres Comœdiæ (quas rectè Cicero vocat imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis) ſub alicuis perſonam mores vulgi ſic depinxerint, vt nihil ferè in noſtris hominibus, etiamſi diligenti quis vtatur cenſurâ, poßit notari, quod ille non expreſſerint. Hîc patres ſeueri, matres indulgentes, iuuenes luxurioſi, ſerui infideles, meretrices impudicæ, milites glorioſi, paraſiti edaces, lenones impudentes, obſtetrices temulentæ, ruſtici imperiti; hic cuiuſuis conditionis homines, natiuis ſe & non ſimulatis & fucatis moribus offerunt. Quamobrem cum nihil hic quod á me addi debeat, omiſſum videatur, vulgus illud ignobile miſſum facientes, ad triumphum acceleremus, quem confecto, quod cum Antiquarijs erat ſuſceptum, bello, vobis præſertim, auditores æquiſsimi, iudicibus, ereptum mihi iri, adeo non vereor, vt etiam ſponte oblatum iri non poſtulanti confidam. Quid enim quod impedire hunc poſſet, reſtat? Nonne contra tot & tam potentes aduerſarios, deprælantes eo rem redigimus, vt ij, qui à partibus antiquariorum erant, ad nos tranſierint

In frag.

ſierint

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

ſierint? Nonne Poetarum Hiſtoricorum, oratorum, Senum, Multitudinis allata contra nos tela in ipſos auctores retorſimus? Nonne Experientiam ab hoſtibus adductam, nobis pulcerrimam operam nauantem vidiſtis? Hæc puerorum mores, hæc, iuuenum, hęc virorum, hæc ſenum omnibus ſeculis eosdem fuiſſe docuit: Hæc examinatis omnium ordinum hominibus, ſemper eadem ab ipſis frequentata vitia, ſemper eaſdem cultas eſſe virtutes, demonſtrauit: Hæc quam multa præclara, veritatis limen tranſcendentia, de veteribus ſint pronunciata, ex ipſis hiſtoricis adduxit: Hæc quam omnia poſt obitum fingat maiora vetuſtas, quam præſens virtus pręſtantium virorum ſeculi ſui malignitate comprimatur, monuit. Quæ cum ita acta tranſacta ſint, nihil obſtare video, quin triumphalem currum aſcendens, hanc à vobis acclamationem à Seneca petitam, expectem: Sic finiamus, ne in noſtro ſeculo culpa ſubſidat. Hoc maiores noſtri queſti ſunt, hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, euerſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas, & in omne nefas labi, AT ISTA STANT LOCO EODEM, STABVNTq;: Paululum duntaxat vltrò aut cito mota, vt fluctus, quos æſtus accedens longius extulit, recedens interiore littorum veſtigio tenuit. Nunc in adulteria magis, quàm in alia peccabitur, abrumpetq; frenos pudicitia: nunc conuiuiorum vigebit furor, & fœdiſsimum patrimoniorum exitium, culina: nunc cultus corporum nimius,

Senec. de beneficijs c. 10.

F &

& formæ cura, præ ſe ferens animi deformitatem: nunc in petulantiam & audaciam erumpet malè diſpenſata libertas: nunc in crudelitatem priuatam ac publicam ibitur, bellorumq; ciuilium inſaniam, qua omne ſanctum & ſacrum profanetur. Habebitur aliquando Ebrietati honor, & plurimum meri cepiſſe virtus erit. Non expectant vno loco vicia, ſed mobilia, & inter ſe diſsidentia tumultuante, petunt inuicem, fuganturq;. Cæterum idem ſemper de nobis pronunciare debebimus, malos eſſe nos, malos fuiſſe, inuitus adijcio, & futuros eſſe. n. Ep. 89. *Errat igitur ſi quis exiſtimet noſtri ſeculi eſſe vitium, luxuriam & negligentiam boni moris, & alia, quæ obijcit ſuis quiſq; temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum. Nullus ætas vacauit à culpâ. Et ſi æſtimare licentiam cuiuſq; ſeculi incipias, pudet dicere. Nunquam apertius, quam coram Catone peccatum eſt.*

DIXI.

62

Roſtochij

Typis Auguſtini Ferberi

ANNO

M. D. XCV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1309 8°